VA 1152058 C

DE

SUBLIMI

IN

EVANGELIO CHRISTI

JUXTA DIVINAM

VERBI INCARNATI

OECONOMIAM.

AUCTORE

MARTINO GERBERTO

MONASTERII ET CONGREGATIONIS S. BLASII IN SILVA NIGRA ABBATE S. Q. R. I. P.

TOMUS II.

TYPIS SAN-BLASIANIS 1793.

Digitized by Google

DE SUBLIMI IN EVANGELIO CHRISTI CAPITA SELECTA.

CAPUT XXIX.

ADORATIO IN SPIRITU ET VERITATE IN EVANGELIO.

Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hieroſolymis adorabitis Patrem. Vos adoratis, quod neſcitis: nos adoramus quod ſcimus, quia ſalus ex Judæis eſt. *Sed venit hora, et nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu et veritate.* Jo. IV. 21. 22. 23.

Cum Christus fatigatus itinere ſederet *a)* *ad fontem Jacob prope civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, iuxta prædium, quod dedit Jacob Joſeph filio ſuo : : : Venit mulier de Sama-* CAPUT XXIX. Mulieri Samaritana declarata.

a) Jo. IV. 5. etc.

A 2

Caput XXIX. *ria haurire aquam. Dicit ei Jeſus: Da mihi bibere.* Conſidera hic et admirare divinam ſapientiam in Chriſto. Ex conſequentia ſermonis Chriſti cum Samaritana palam fit in verbis: *Da mihi bibere*, contineri verba ſalutis, quæ Chriſtus Samaritanæ denuntiavit velut mox ibidem v. 32. apoſtolis ſub nomine cibi, quem Chriſto attulerant ad manducandum: *Ille autem dicit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis . . . Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem eius, qui miſit me, ut perficiam opus eius . . . Ecce dico vobis: Levate oculos veſtros, et videte regiones, quia albæ ſunt iam ad meſſem.* Eodem pertinent parabolæ de ſeminante et ſemente, frumento, meſſeque evangelica: ſeu ut propius ad rem loquar cum Chriſto, qui in parabola de grano ſinapis *a*), *quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus: cum autem creverit, maius eſt omnibus oleribus et fit arbor*, dilatationem Eccleſiæ ſuæ per orbem declarare voluit; perinde ac hic mulieri Samaritanæ denunciat horam, quando neque in monte hoc Garizim, neque in Hieroſolymis amplius per legem cæremonialem adoraturi ſint Patrem. Hoc voluit innuere Chriſtus, dum petit a muliere bibere. Unde miratur mulier: *Quomodo tu Judæus cum ſis, bibere a me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana? Non enim coutuntur Judæi Samaritanis.*

a) *Matth. XIII.* 31.

Atqui vero hanc ipſam ſeparationem ſublaturus advenerat Chriſtus non ſolum Judæorum cum Samaritanis, verum etiam cum univerſis gentibus: ex quibus erant Epheſii, ad quos ſcribens D. Paulus: *Quia*, ait *a*), *eratis illo in tempore ſine Chriſto, alienati a converſatione Iſrael, et hoſpites* (ξένοι peregrini) *teſtamentorum, promiſſionis ſpem non habentes, et ſine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Chriſto Jeſu, vos, qui aliquando eratis longe, facti eſtis prope in ſanguine Chriſti. Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ ſolvens, inimicitias in carne ſua: legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in ſemetipſo in unum novum hominem: faciens pacem.* Hunc igitur medium parietem maceriæ, qui tunc etiam erat Judæos inter et Samaritanos, ſolvens primum quidem petit bibere, deinde vero offert mulieri *aquam vivam.* Sed mulier carnalis rem non capit, dum etiam Chriſtus explicatius loquitur diſcrimen inter aquam ſuam et fontis Jacob indicans: *Omnis, qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum: ſed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* At necdum mulier ſenſu aſſurgens a naturali ad ſupernaturalem aquam, dicit: *Domine da mihi hanc aquam, ut non ſitiam, nec*

a) *Ephes. II.* 12.

CAPUT XXIX. *veniam huc haurire*, donec Christus se ei prophetam esse commonstrasset; tunc de Evangelio Christi Messiæ edocta, illud etiam promta concivibus annuntiat. Mulierem Samaritanam præferunt S. Scripturæ interpretes Nicodemo. „Nam ille quidem [ut post S. Chrysostomum *a*)] Theophilactus in h. l. notavit *b*), cum multa audivisset, talia dicebat: Quomodo possunt hæc fieri? Ista autem incipit contemnere etiam fontem Jacob. Nam dicit: si talem aquam habes, da mihi, ut non ultra veniam huc ad hauriendum. Vides, quod prætulerit ipsi Jacob Dominum." Unum quidem dubium movet: *Patres nostri*, inquit, *in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis, quia Jerosolymis est locus, ubi adorare oportet.* Sed ſtatim postquam de vero cultu Dei edocta est, auditque ex ore Jesu, se esse Messiam, a quo omnia annuntianda essent, reliquit hydriam, „et fit Apostola ordinata a fide, quæ cor eius occupaverat, docetque, et attrahit totam civitatem *c*)."

Dei cultus Testamenti novi veteri reiecto.

Interim veniunt discipuli mirati, quod cum muliere loqueretur, Samaritana præsertim, cum Judæis tantum evangelizandum ſuscepisset; mulier vero credit nihil morata, quod Christus dixisset, *quia ve-*

a) *Hom. XXXII. in Jo. n.* 1. *T. VIII. p.* 184.
b) *T. I. p.* 555. *c*) *Idem Theoph. p.* 559.

nit hora, *quando neque in monte hoc*, *neque in Hierosolymis adorabitis Patrem.* Quia nempe cultus ille vetus in umbris, adveniente veritate eſſet ceſſaturus, nec uno in loco, ſed ubique terrarum Deus eſſet colendus. Samaritanum quidem cultum omnino reiicit Christus: *Vos adoratis*, *quod neſcitis*, Judaicum autem hactenus probat, *quia ſalus ex Judæis eſt*, ex quibus nempe oriundus erat Christus ſalus mundi: *Venit hora*, *et nunc eſt*, *quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu et veritate*, non in cæremoniis legalibus, aut uno in templo Hierosolymitano, ſeu ſynagoga, ſed in Eccleſia per totum orbem diffuſa, *in ſpiritu et veritate. Nam et Pater tales quærit*, *qui adorent eum*, Deum nempe omnibus propitium, non Judæorum tantum, nec in uno templo Judæorum, ut illi ſibi perſuadebant. „Templum exſtruitur, ſunt verba Novatiani *a*), nec tamen Deus intra templi anguſtias omnino ſepitur. Non igitur mediocris eſt Deus, ſed populi mediocris eſt ſenſus: nec anguſtus Deus, ſed rationis populi anguſtus eſt intellectus habitus. Denique in Evangelio, *veniet hora*, Dominus aiebat, *cum neque in monte iſto*, *neque in Hieruſalem adorabitis Patrem*. Et cauſas reddidit dicens: *Spiritus eſt Deus*; *et eos ergo*, *qui adorant*, *in ſpiritu et veritate adorare*

a) *De Trinit. c. 6. T. III. Bibl. PP. p.* 291.

oportet. Efficaciæ igitur ibi divinæ per membra monſtrantur: non habitus Dei, nec corporalia lineamenta ponuntur. "

Quod ad nos vero attinet, qui corpore et anima conſtamus, nemo cultum etiam exteriorem excludat, ſed veterem tantum illum in cæremoniis legalibus et ſacrificiis, quibus unum incruentum in commemorationem cruenti in cruce eſt ſubſtitutum in novo teſtamento. Palam eſt mulierem Samaritanam de ſacrificando intellexiſse, quod dicit: *Patres noſtri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis, quia Jeroſolymis eſt locus, ubi adorare oportet*, cui dum reſpondet Jeſus, veniſse horam, *quando neque in monte hoc, neque in Jeroſolymis adorabitis Patrem*, ſacrificium illud intelligit, et hoſtiam, quæ iam offertur in omni loco, editurque agnus ille paſchalis, qui pro nobis immolatus eſt Chriſtus, non modo Judaico ſeu Capharnaitico. Et hoc eſt, quod Chriſtus dicit: *Spiritus eſt, qui vivificat; caro autem non prodeſt quidquam: verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus et vita ſunt a).* Sic igitur in ſpiritu et veritate adoramus, ſacrificamusque Deo, quod eſt novum teſtamentum in Chriſti ſanguine, *qui per Spiritum ſanctum*, ut dicit apoſtolus *b*), *obtulit ſemetipſum immaculatum Deo.*

a) *Jo. VI.* 64. b) *Hebr. IX.* 14.

CAPUT XXX.

APOSTOLI PISCATORES HOMINUM.

Caput XXX.

Ambulans Jesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, et Andream fratrem eius, mittentes rete in mare (erant enim piscatores) et ait illis: *venite poſt me, faciam vos fieri piscatores hominum.* At illi continuo relictis retibus ſecuti ſunt eum. Matth. IV. 18. 19. 20.

Pergit his relatis Evangelista, processiſſe Jesum, invenisseque ſimiliter duos fratres Jacobum et Joannem cum patre Zebedæo reficientes retia ſua, et vocasse eos, illosque ſtatim relictis retibus et patre ſecutos esse eum. „De tot generibus operum, quærit Tertullianus *a*), quid utique ad piscaturam respexit, ut ab illa in apostolos ſumeret Simonem, et filios Zebedæi? Non enim ſimplex factum videri potest, de quo argumentum processurum erat, dicens Petro trepidanti de copiosa indagine piscium: *Ne time, abhinc enim homines eris capiens.* Hoc enim dictò intellectum illis ſuggerebat adimpletæ prophetiæ: se enim esse, qui per

Duæ piscationes.

a) *Lib. IV. contra Marcionem c. 9. p.* 419.

Caput XXX. Hieremiam pronunciarat: *Ecce ego mittam piſcatores multos, et piſcabuntur illos*, homines ſcilicet. Denique *relictis naviculis ſecuti ſunt eum*, ipsum intelligentes, qui cœperat facere, quod edixerat."

Duæ describuntur piscationes miraculoſæ, mysteriis refertæ, altera Luc. V. ante resurrectionem, altera Joann. XXI. post resurrectionem, cuius in Ecclesia lectæ occasione S. Augustinus plures ſermones habuit in diebus paschalibus a ſermone 248. usque ad 253. quo eodem est referendus ſermo de ovibus Christi, post piscationem illam ultimam, Petro ad pascendum commissis trina interrogatione: *Petre amas me? amas me plus his?* ut dubitandum non ſit, Christum ſingularem ovilis ſui curam Petro

Petri navicula. committere voluisse. In prima etiam piscatione cum vidisset Jesus duas naves, *ascendens in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum a terra reducere pusillum. Et ſedens docebat de navicula turbas a).* Veluti facto et exemplo ſuo commonstrans, quid in navicula Petri ecclesia futurum esset, ac faciendum a Petro, eiusque ſociis piscatoribus hominum. *Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam.* Idem est hoc, quod apud Matthæum et Marcum dicit: *Venite post*

a) *Luc. V.* 3.

me, faciam vos piſcatores hominum. Conqueritur Petrus: *Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus.* Quid per totam noctem niſi tenebræ illæ ante Christum *a*), qui est *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, intelliguntur, de quibus Pſalmista *b*): *Deus meus illumina tenebras meas.* Christus autem *c*): *Ego ſum lux mundi: qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.* Nec ſolum lux nostra est Christus, ſed etiam dux noster est, a quo dependet omnis conſilii, et agendi ratio, quo destitutus Petrus cum ſociis per totam noctem laborantibus nihil cepiſſe queritur. At iam *d*): *In verbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam, rumpebatur autem rete eorum; et annuerunt ſociis, qui erant in alia navi, ut venirent, et adiuvarent eos. Et venerunt, et impleverunt ambas naviculas, ita ut pene mergerentur. Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Jesu dicens: Exi a me, quia homo peccator ſum, Domine.* CAPUT XXX.

Quis non hic videt parabolam Christi, qua ſimile dixit regnum cœlorum, id est Eccleſiam, ſagenæ miſſæ in mare, et ex omni genere piſcium congreganti? Sagena mittitur in mare a piſcatoribus Petro et **Parabola de ſagena congruens primæ piſcationis.**

a) *Joan. I.* 9. *b*) *Pſalm. XVII.* 29.
c) *Joan. VIII.* 12. *d*) *Luc. V.* 5. *etc.*

Caput XXX.

ſociis ſecutis Dominum. At dum rumpitur rete, periclitatur mergi navicula, prociditque ad genua Jesu Petrus, erigitur eius animus a Christo, animaturque, ut nihil moratus hæc pericula ſuæ naviculæ et ſociorum, imperterritus piscatorem se hominum præbeat, certus de multitudine piscium capiendorum. *Noli*, inquit Christus *a)*, *timere: ex hoc iam homines eris capiens.* Hæc iam ad primam piscationem in parabola illa evangelica pertinent; quæ ſequuntur, *quam cum impleta esset educentes, et ſecus litus ſedentes elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt*, ad ſecundam: *ſic erit in consummatione ſæculi b)*. Ut adeo nihil temere hic aut proprio ingenio excogitatum debeat videri, quod in miraculosis piscationibus explicatur de Ecclesia, piscatoribusque hominum, quod est ſublime in Evangelio Christi per apostolos nobis denunciando. „Nunquam, ſunt verba S. Augustini *c)*, hoc Dominus iuberet, nisi aliquid ſignificare vellet, quod nobis nosse expediret. Quid ergo pro magno potuit ad Jesum Christum pertinere, si pisces caperentur, aut si non caperentur? ſed illa piscatio erat nostra ſignificatio.“ Omnia copiose S. Augustinus in ſermonibus illis de duabus piscationibus explicat, ex quibus unum ſaltem locum, qui ad primam pertinet afferemus. „Recordamini ergo,

a) *Luc.* V. 10. *b)* *Matth.* XIII. 48.
c) *Serm.* 248. *T.* V. p. 1026.

inquit, primam piſcationem ubi videamus Eccleſiam, qualis eſt in iſto tempore. Dominus Jesus invenit diſcipulos ſuos piſcantes, quando primum eos vocavit, ut ſequerentur eum. Tunc tota nocte nihil ceperunt. Eo autem viſo, audierunt ab illo: *Mittite retia. Domine*, inquiunt, *per totam noctem nihil cepimus, ſed ecce in verbo tuo rete mittimus.* Miſerunt, iubente omnipotente. Quid aliud potuit fieri, niſi quod ille voluiſſet? Sed tamen eodem ipſo facto aliquid nobis, ut dixi, quod noſſe expediat, ſignificare dignatus eſt. Miſſa ſunt retia. Adhuc Dominus nondum erat paſſus, nondum reſurrexerat. Miſſa ſunt retia: ceperunt tantum piſcium, ut duo navigia implerentur, et ipſa retia eadem piſcium multitudine ſcinderentur. Tunc illis dixit: *Venite, et faciam vos piſcatores hominum.* Acceperunt ab illo retia Verbi Dei, miſerunt in mundum, tanquam in mare profundum: ceperunt quantam multitudinem Chriſtianorum cernimus, et miramur. Duo autem illa navigia, duos populos ſignificabant, Judæorum et Gentium, Synagogæ et Eccleſiæ, circumciſionis et præputii. Illorum enim duorum navigiorum, tanquam duorum parietum de diverſo venientium, lapis angularis eſt Chriſtus. Sed quid audivimus? Ibi premebantur navigia præ multitudine. Sic fit modo: multi chriſtiani, qui male vivunt, Eccleſiam premunt.

Caput XXXI. Parum eſt, quia premunt: et retia diſrumpunt. Nam ſi non eſſent retia ſciſſa, ſchismata non eſſent commiſſa."

CAPUT XXXI.

CHRISTUS PRÆDICAT EVANGELIUM REGNI.

Circuibat Jeſus totam Galilæam, docens in ſynagogis eorum, et *prædicans Evangelium regni*: et ſanans omnem languorem, et omnem infirmitatem in populo. Matth. IV. 23.

In remiſſionem peccatorum.

Hæc Matthæus proxime ſubiungit vocationi piscatorum ſecundæ, qua relictis retibus ſecuti ſunt Dominum. Immediate etiam antea: *Exinde cæpit Jeſus prædicare, et dicere: Pænitentiam agite: appropinquavit enim regnum cælorum.* Et Matth. IX. 35.: *Circuibat Jeſus omnes civitates, et caſtella; docens in ſynagogis eorum, et prædicans Evangelium regni;* Marcus autem, ex quo iam notavimus, Chriſtum incepiſſe, quando deſierat Joannes præcurſor, *poſtquam autem*, ait *a*), *traditus eſt Joannes, venit Jeſus in Galilæam, prædicans Evangelium regni Dei, et dicens: Quo-*

a) *Marc. I.* 14.

niam impletum eſt tempus, pœnitemini, et credite Evangelio. Huius regni principem D. Petrus Act. V. 31. Christum poſt resurrectionem Judæis prædicat: *Hunc principem, et Salvatorem Deus exaltavit dexterâ ſua; ad dandam pœnitentiam Iſraeli, et remiſſionem peccatorum.* Nihil hoc differt ab eo, quod prænuntiavit præcurſor *Joannes Baptiſta prædicans in deſerto Judææ, et dicens; pœnitentiam agite; appropinquavit regnum cœlorum.* Marci I. 4. Lucæ III. 3. tantum prædicans baptiſmum pœnitentiæ inducitur; quod ipſe præcurſor refert ad Chriſtum: *Et ego neſciebam eum; ſed ut manifeſtetur in Iſrael, propterea veni ego in aqua baptizans a).* Et Chriſtus: *Lex et prophetæ; usque ad Joannem: ex eo regnum Dei evangelizatur b).* Jam nonnunquam ſermo incidit de regno Meſſiæ, occurretque deinceps in plerisque parabolis, quod evangelium regni præſentis temporis attinet, explicatum, in tota autem amplitudine ſua nobis illud imprimis exhibet hiſtoria paſſionis Chriſti: in qua quidem dicit Chriſtus, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, palam tamen, *quia rex ſum ego* profeſſus Pilato, ſic perſuaſo, ut per hoc animos Judæorum, ut crucifigeretur petentium, tentaret conciliare: *Regem veſtrum crucifigam? Ecce rex veſter.* Nec abduci ab eis, Chriſtum accuſan-

CAPUT XXXI.

a) *Jo. I. 31.* b) *Luc. XVI. 16.*

CAPUT XXXI. tibus quod regem ſe diceret; potuit, ad mutandum crucis titulum: *Jeſus Nazarenus rex Judæorum*, qui ab ipſo Chriſto Matth. VIII. 12. vocantur *Filii regni*, ſed poſtea incredulis denuntiat XXI. 43.: *Quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus eius;* prout deinceps XXIV. 14. apertius dicit: *Et prædicabitur hoc Evangelium regni in univerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus.* Judæis fruſtra a Chriſto ad ſanam mentem revocatis, qui *interrogatus a Phariſæis: Quando venit regnum Dei? Reſpondens eis dixit: Non venit regnum Dei cum obſervatione: neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos eſt a).* Glorioſum illi regnum Meſſiæ, qui domitor futurus eſſet, et dominator ſuper gentes terræ, præſtolabantur, lætum in terris; Joannes et Chriſtus, ut pœnitentiam agerent prædicant, tam auſteram Joannes ſecutus vitam, et tam vili Chriſtus conditione, tam expers rerum mundi, ut nec haberet, ubi caput reclinaret. Et quia non capiebant Judæi, quod dicebat Chriſtus: *Regnum Dei intra vos eſt;* ideo ablatum eſt ab eis, et translatum ad gentes. Unde ſimile dictum eſt regnum cœlorum grano ſinapis, *quod acceptum homo miſit in hortum ſuum, et crevit, et factum eſt in arborem magnam b).* Abſconditum granum in terra Judææ excrevit

a) Luc. XVII. 20. *b) Ib. XIII. 19.*

tandem inter gentes, quia illi non attenderunt regnum Dei esse intra se. Non docentem per tres annos Christum, non tot miracula patrantem attendebant. CAPUT XXXI.

Referunt quidem evangeliſtæ eos miratos fuisse, ac ſtupuisse in ſermone illius, ut iam memoravimus. *Erat enim docens eos quasi potestatem habens, et non ſicut ſcribæ eorum et Pharisæi a).* S. Joann. Chrysostomus *b)* passim præsertim in homiliis ſuper Matthæum extollit hanc tantam docentis Christi virtutem tum in ſermone ipso, „ut in ingentem admirationem abriperet, ſuaderetque propter voluptatem ex ſermone captam,“ admiratos autem maxime illius potestatem et auctoritatem in loquendo notans. „Non enim, pergit S. Pater, ad alium dicta referens loquebatur ut Moyses, ſed ubique ostendebat ſeipsum esse, qui auctoritatem haberet. Nam cum leges ſæpe pronunciaret, adiiciebat: *Ego autem dico vobis etc.*“ Et paulo post id in hac re potissimum considerandum vult, „quomodo variet ad audientium utilitatem, quomodo a miraculis ad verba, et mox a verbis ad miracula transeat . . . Quia enim *tanquam potestatem habens* docebat, ne hic

Verba miraculis firmans.

a) *Matth. VII.* 29. *Marc. I.* 22. *Luc. IV.* 32.
b) *Hom. XXV. T. VII. p.* 306.

CAPUT XXXI. docendi modus faſtum ſaperet aut oſtentationem, operibus idipſum facit, et tanquam poſteſtatem habens morbos curat.“ Diſcipuli poſt reſurrectionem euntes in Emaus hoc Chriſto, inſcii cum ipſo verba facientes, teſtimonium reddunt, hanc ipſam in ſermone Chriſti virtutem tunc experti: *Nonne*, aiunt, *cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis ſcripturas?* Divinam nempe auctoritatem conſtanter et ubique demonſtrabat in docendo: eamque confirmabat Jeſus per ſigna et miracula, a tempore quo cœpit facere et docere perinde etiam in iis, quæ faciebat, divinam poteſtatem ſuam declarabat imperando ventis, morbis, morti, dæmonibus, ipſis lictoribus in horto, ut notavimus, notabimuſque ſuis locis *a*). Mortem ipſam reſurgendo devicit, et aſcendendo ſua virtute in cœlum cœlos nobis aperuit.

Regnum Dei, quod in terris prædicavit Chriſtus, æternum nobis in cœlis reddidit, reddetque glorioſis corporibus, quod eſt complementum ac finis Evangelii regni. Levia ſunt, quæ attulimus de infirmis curatis, atque etiam ad vitam re-

a) *Marc. IV.* 39. *Ib. I.* 42. *Ib. V.* 41. *Luc. IV.* 39. *Ib. XVIII.* 42. *Ib. VII.* 14. *Jo. XI.* 43. *Ib. XVIII.* 6.

vocatis corporibus, hanc univerſalem ſi ſpectes corporum noſtrorum reſurrectionem, cuius miracula illa præambulum quoddam fuerant futuræ per Chriſtum verbum Dei aliquando. „Quod autem tibi dixi, ſunt verba S. Jacobi Niſibeni *a*), binis verbis hos mortuos ſuſcitatos fuiſſe, ideo factum eſt, quia duæ reſurrectiones in ipſis fieri debebant: una illa prima, quæ tum facta eſt, ſecunda illa quæ futura eſt. At vero in illa reſurrectione, in qua omnes homines reſurgent, nec amplius morientur, uno verbo Dei, quod emittitur per Chriſtum, reſurgunt omnes defuncti illico, in ictu oculi. Non enim debilis aliquis, et infirmus eſt vocans per illud verbum. Nam uno verbo vocat, et facit, ut audiant omnes fines terræ, et expergiſcuntur, et reſurgunt defuncti, et non redit inane verbum ad eum, qui emiſit . . . ſed ut loquitur coram eo, qui miſit: *Ecce ego, et filii, quos tu dediſti mihi.* Et de voce iſta, qua mortui vivunt, perhibuit teſtimonium Salvator noſter, dicens: *Veniet tempus, quo mortui audient vocem filii eius, et exibunt e ſepulchris ſuis.* Quemadmodum et ſcriptum eſt: *In principio erat vox*, quoniam ille ipſe vox

Caput XXXI.

a) *Serm. VIII. de Reſurrect. mortuorum n. 6. Bibl. PP. Ven. T. V. p. LXV.*

Caput XXXII. est, et verbum. Nam iterum dicit Scriptura: *Verbum caro factum est, et requievit in nobis.* Et hoc ipsum verbum vox est Dei, quæ clamat ab excelsis, et suscitat mortuos. "

CAPUT XXXII.

CHRISTUM SEQUI VOLENTES.

Accedens unus Scriba, ait illi: Magister, ſequar te, quocunque ieris. Et dicit ei Jesus: *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Alius autem de discipulis eius ait illi: Domine, permitte me primum ire, et ſepelire Patrem meum. Jesus autem ait illi: Sequere me, et *dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Matth. VIII. 19. 20. 21. 22.

Officia erga Deum aliis omnibus anteponenda.

Scribam hunc passim putant interpretes terrena quadam ſpe ad ſequendum Christum fuisse inductum, cui Christus ita responderit: *Vulpes foveas habent etc.* „Hæc, inquit S. Chrysostomus *a)*, non repellentis erant; ſed malam mentem redarguen-

a) Hom. XXVII. in Matth. n. 2. T. VII. p. 329.

tis.“ Quæ qualiſcunque fuerit ſiniſtra mens ſcribæ in reſponſione, Sublime illud in Evangelio Chriſti demonſtrat a rebus caducis et tranſitoriis huius mundi abducens animum ſcribæ, Judaicis præiudiciis de Meſſiæ regno detentum: dum Chriſtus adeo extorrem ſeſe quibuscunque fortunæ in hoc ſæculo rebus, atque alienum a regno in hoc mundo oſtendit, ut ne quidem domum habitationis propriam, nec ubi caput reclinet, ſe habere conteſtaretur in hoc mundo. Præſumit ſibi hic ſcriba, Chriſtum ſe ſecuturum, quocunque ierit; ignarus, eius diſcipulos magiſtri exemplo omnia relinquere oportuiſſe domum, fratres etc. ut expediti ac liberi eſſent, eundi in univerſum mundum ad prædicandum omni creaturæ Evangelium regni, quod reſpuebat gens Judaica.

Conveniens eſt Chriſti reſponſio alteri de diſcipulis eius data, dum officium ſepeliendi patrem muneri evangelico præfert. SS. Patres hic, quod in veteri Teſt. vetitum erat, ſummis ſacerdotibus imprimis (Levit. XXI. 11. Num. XII. 7.) ne ſuper mortuis contaminarentur, pro more ſuo, per inductionem allegoricam in exemplum noſtrum trahunt ex ſingulari illa Chriſti ſententia: *Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.* „Quomodo autem, quæ-

Caput XXXII. rit mox laudatus S. Jacobus Niſibenus *a)*, hæc intelligenda putas, o dilectiſsime? Vidiſtine unquam, mortuos ſepelire mortuos? Quomodo ſurgunt mortui ad ſepeliendos mortuos? Sed accipe horum verborum ſenſum: Peccator, dum vivit, mortuus eſt apud Deum; et iuſtus, quamvis mortuus ſit, vivit ad Deum. Hæc mors tua ſomnus eſt.“ Non abludit S. Joann. Chryſoſtomus l. c. dum exiſtimat, mortuum illum ex infidelium numero fuiſſe. Mox nihilominus ad officii genus recurrit, quod alias paſſim Chriſtus aliis omnibus etiam erga parentes anteferendum inculcat. „Nam, inquit *b)*, Jeſus id prohibuit ipſi, non quod iuberet honorem parentibus debitum contemnere; ſed ut oſtenderet, nihil nobis æque neceſſarium eſſe, atque res cœleſtes, iisque ſumma cum diligentia eſſe incumbendum, nec vel tantillum differendum, etiamſi admodum urgentia videantur eſſe ea, quæ alio trahunt. Quid enim magis neceſſarium, quam ſepelire patrem?“ Et paucis S. Ambroſius, „cum religioſum, inquit *c)*, humandi acceperimus officium: quemadmodum hic paterni quoque funeris ſepultura prohibetur, niſi ut intelligas, huma-

a) *Hom. VIII. n. 7. T. V. Bibl. PP. p. LXVI.*
b) *Loc. cit. n. 3. p. 330.* *c)* *Expoſit. Evang. ſecundum Lucam Lib. VII. n. 34. T. I. p. 1419.*

Caput XXXII.

na poſthabenda divinis?" S. Gregorius a nobis, qui animas odisse iubemur propter vitam æternam, in eandem ſententiam argumentum repetit in cap. VI. Job. „Qui enim, ſcribit *a)*, districto ſtudio, et non dissolutis gressibus æternæ ſponsionis præmium ſequuntur, ſicut ſemetipsos pro divino amore despiciunt, ſic cuncta, quibus se ſentiunt præpediri, postponunt: et cum pro Deo necesse est, ut quibus valent, cunctis inserviant, pro Deo privata obsequia etiam propinquis negant. Hinc est enim, quod quidam, cum diceret: *Permitte mihi prius ire, et ſepelire Patrem meum:* veritatis ore protinus audivit: *Sine ut mortui ſepeliant mortuos ſuos, tu autem vade, annuntia regnum Dei.* Qua in re notandum est, quia electus discipulus dum a parentis ſepultura compescitur, hoc devotum quemque exhibere patri mortuo ex affectu carnali propter Dominum non licet, quod propter Dominum et exteris debet. Hinc rursum veritas dicit: *Si quis venit ad me, et non odit patrem ſuum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et ſorores, adhuc autem et animam ſuam, non potest meus esse discipulus.* Quo in loco videlicet, dum propinquorum odio, animæ quoque nostræ odium ſubinfertur, patenter ostenditur, quia ſic propinquos, ſicut nosmetipsos

a) *Lib. VII. n. 41. T. I. p. 231.*

Caput XXXIII. odio habere præcipimur, ut hos ad æterna rapientes, eorumque carnalem gratiam, cum præpedit, poſtponentes diſcamus temperata eos diſcretionis arte, et convenienter diligere, et ſalubriter odio habere; quatenus ſic ſciat per amorem odium ſurgere, ut valeamus eos verius per odium amare." Obſervandum vero, ea, quæ Luc. IX. 60. adduntur: *Tu autem vade annuntia regnum Dei;* rem ita ſuapte expoſcere: „Poſtponendum namque erat obſequium huius miniſterii officio prædicationis;" ut V. Beda in eum locum commentatur.

CAPUT XXXIII.

OFFICIIS ERGA DEUM NIHIL PRÆFERENDUM.

Ait alter: Sequar te Domine, ſed permitte mihi primum renuntiare his, quæ domi ſunt. Ait ad illum Jesus: *Nemo mittens manum ad aratrum, et reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.* Luc. IX. 61. 62.

Nec remittendum ab officio. Tertius hic eſt ex illis, quibus ſequi ſe volentibus declaravit, quomodo ad hoc comparatum eſſe oporteat. Primo enim ſignificavit neminem ſe ingerere debere

evangelizandi officio, commodi ſeu utilitatis temporalis gratia. Alterum docuit, eum, qui rite a Deo vocatus ſit, nullam dilationem quærere debere, aut prætextum alium quemcunque etiam pietatis, ſed mox vocantem ſequendum esse, cura etiam parentum vel domesticorum postposita. Tertio huic edicit, qui ſemel evangelicæ se addixerit institutioni, ei reſpicere retro, animumque ad alia reflectere non licere, aptiſſimo ab aratoribus exemplo, quos ſemper ad anteriora reſpicere oportet: quique dum manu ſtivam tenent, oculos in ſulcum intentos habent. Quod de se D. Paulus dicit *a*): *Quæ quidem retro ſunt, obliviscens, ad ea vero, quæ ſunt priora, extendens meipſum, ad destinatum persequor, ad bravium ſupernæ vocationis Dei in Christo Jesu.* Et prout idem Philip. III. 12. de se loquitur: *Non quod iam acceperim, aut iam perfectus ſim: ſequor autem, si quo modo comprehendam.* Quem locum præ oculis habens S. Bernardus, „Profectus noster, ait *b*), in eo consistit, ut nunquam arbitremur, nos apprehendisse, ſed ſemper extendamur ad anteriora, incessanter conemur in melius, ut imperfectum nostrum divinæ misericordiæ obtutibus iugiter exponamus.“ Si nobis conscii, in quibus identidem deficimus, et quæ nobis desint, quæve conducant ad perfectionem, eluctari per divi-

a) *Philip. III.* 13. *b*) *Serm. II. de Purif. T. III. p.* 962.

CAPUT XXXIII. nam gratiam contendamus: quia in via Domini non progredi, regredi eſt. „Minime pro certo bonus eſt, ſunt verba laudati S. Bernardi, qui melior eſſe non vult: et ubi incipis, nolle fieri melior, ibi deſinis eſſe bonus.

In collationibus Patrum apud Caſſianum *a*) id de renuntiatione ſæculi acceptum, parabola evangelica confirmatur de rege, „qui cum decem millibus progreditur contra eum, qui cum viginti millibus occurrit: quod apte ac concinne de conflictu virtutum, et vitiorum explicatur, id eſt, ut ne initium quidem renuntiationis arripiant potius, quam tepide eam poſt exſequentes maiori diſcrimine ſemetipſos involvant. Melius eſt enim non vovere, quam vovere, et non reddere. Pulchre autem hic cum decem millibus, et ille cum viginti millibus deſcribitur. Amplior enim vitiorum nos impugnantium numerus eſt, quam virtutum pro nobis dimicantium. *Nemo autem poteſt Deo ſervire, et Mammonæ.* Nec ponens quiſquam manum ſuam ſupra aratrum, et reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.“ Igitur tales ſunt, qui poſtquam ſeſe ſæculo abdicarunt, mundumque reliquerunt, retroſpiciunt: ſeſeque impedimentis ſalutis, quibus se iam expedierant, iterum

a) *Lib. VII. c.* 13.

irretiunt: quæ ſunt concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum (coniuncta utraque ſibi iuxta Evangelii rigorem, quo *qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo*) et ſuperbia vitæ, cum omni illa mundi vanitate, de qua Pſalmiſta: *Averte oculos meos ne videant vanitatem, in via tua vivifica me:* nempe, quæ via, veritas et vita eſt.

Quodſi ſimul in animum revocemus ſortem, quam cum Adamo ex paradyſo expulſo ad aratrum damnato acceperamus, ſublimitas doctrinæ huius Adami ſecundi magis elucescit. *Maledicta terra*, denuntiavit Adamo poſt lapſum Deus a), *in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbam terræ. In ſudore vultus tui veſceris pane .... Et emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis, ut operaretur terram, de qua ſumtus eſt.* Quid vero Adam ſecundus Chriſtus Dominus? Congregat ſibi operarios in agrum ſuum. *Ager autem eſt mundus* b), dicit in parabola, de regno cœlorum præſentis temporis Eccleſia *ſimili homini, qui ſeminavit bonum ſemen in agro ſuo. Bonum vero ſemen*, ut loquitur in expoſitione parabolæ, *hi ſunt filii regni* non huius autem mundi, in quem ex paradiſo

a) *Gen. III. 17. etc.* b) *Matth. XIII.*

Caput XXXIII. expulſi mali et miſeri degimus, ſed Eccleſiæ regni Chriſti in terris, et æterni in cœlis, quod in Adamo primo nobis ereptum reſtituit Adamus ſecundus miſertus noſtri. Qui aliquando videns turbas, *miſertus eſt eis: quia erant vexati, et iacentes ſicut oves non habentes paſtorem. Tunc dicit diſcipulis ſuis: Meſſis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam a).* Operarii iſti diſcipuli Chriſti, ab illo vocati mox relictis omnibus ſecuti ſunt eum, nihil tergiverſati vel cauſati cum illo dicente: *Permitte mihi primum renunciare his, quæ domi ſunt;* miſſi a Deo in univerſum mundum *in meſſem ſuam.* Ex quibus unus ex principalibus apoſtolorum D. Paulus, *quam ſpecioſi*, exclamat *b*), *pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* ex Iſaia propheta, qui addit *c*): *Dicentis Sion: Regnabit Deus tuus! vox ſpeculatorum tuorum: levaverunt vocem, ſimul laudabunt: quia oculo ad oculum videbunt, cum converterit Dominus Sion.* Quod futurum ſperamus, præſtolamurque, dum adhuc *renunciare* his cauſantur Judæi, *quæ domi ſunt*, id eſt veteri Teſtamento, conſociandi aliquando novo, *ut fiat unum ovile, et unus paſtor.*

a) *Matth. IX.* 36. *b*) *Rom. X.* 15. *c*) *Isa. LII.* 7.

CAPUT XXXIV.

DIVINA REMITTENDI PECCATA POTESTAS.

Quid est facilius, dicere: Dimittuntur tibi peccata tua: an dicere: Surge et ambula? *Ut autem ſciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico:* Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. Et ſurrexit, et abiit in domum ſuam. Matth. IX. 5. 6. 7.

Demonſtratur miraculis a Christo.

Quam ſublimis in ſimplicitate captatæ occaſionis, tam ad vim argumenti, admirabilis est hoc in exemplo ratio ad convictionem miſſionis divinæ Christi. „Peccata igitur remittens, ſunt verba S. Irenæi *a*), hominem quidem curavit, ſemetipſum autem manifeste ostendit, quis eſſet. Si enim nemo potest remittere peccata, niſi ſolus Deus; remittebat autem hæc Dominus, et curabat homines: manifestum, quoniam ipſe erat Verbum Dei, filius hominis factus, a Patre potestatem remiſſionis peccatorum accipiens, quoniam homo, et quoniam Deus: ut quomodo homo compaſſus est nobis, tanquam Deus miſereatur nostri, et

a) *Lib. V. contra Hæreſ. c.* 17. *n.* 3. *p.* 314.

CAPUT XXXIV. remittat nobis debita nostra, quæ factori nostro debemus Deo. " Argumentum, quo hic usus est Christus, et S. Irenæus nervose constrinxit, invictum est, et generatim valet, atque a Christo frequenter est adhibitum ad divinam missionem ſuam demonstrandam contra incredulos, et refragarios Judæos: *Opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me a).* Et: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; si autem facio: et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, et credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre b).* Et ad Apostolos ipsos: *non creditis*, inquit, *quia ego in Patre, et Pater in me est? alioquin propter ipsa opera credite. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, et ipse faciet, et maiora horum faciet; quia ego ad Patrem vado c).*

Uti etiam deinceps ab Apostolis et Ecclesia.

Ne igitur ſuos, quos ad prædicandum Evangelium misit, atque ipsam Ecclesiam, quam essent in orbe terrarum congregaturi, ſine testimonio vadens ipse ad Patrem ac recedens, relinqueret, hanc eis potestatem ſimul reliquit vicariam, omni exceptione maius testimonium argumentumque irrefragabile, ut opera, quæ ipse faciebat, et ipsi facerent ad plenam, certamque demerendam fidem, ut ſciat unusquisque quo-

a) *Jo. V.* 36. b) *Ib. X.* 37. 38. c) *Ib. XIV.* 11.

modo oporteat in Domo Dei converſari, *quæ est Eccleſia Dei vivi, columna, et firmamentum veritatis a)*. Perſeveravit porro hactenus conſtanter in hac ipſa Eccleſia ſancta catholica et apoſtolica argumentum hoc, quo Chriſtus uſus eſt ad demonſtrandam poteſtatem ſuam remittendi peccata, quam ipſam in Eccleſia reliquit, eadem apoſtolos ſuos inſtruendo Matth. XVIII. 18. iterumque, dum poſt reſurrectionem ſuam inſufflando in diſcipulos ſuos dixit: *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta ſunt b)*. Jam vero abiturus in cœlum, poſtquam proxime ante paſſionem generatim credenti promiſiſſet: *Opera, quæ ego facio, et ipſe faciet, et maiora horum faciet c)*; eadem poteſtate inſtructos mittit apoſtolos in univerſum mundum prædicare Evangelium omni creaturæ: *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis d)*. Quod et factum poſt acta Apoſtolorum monumenta eccleſiaſtica docent, ut longe frequentiora quidem primis illis temporibus eſſent huiuſmodi ſigna, quando ad fidem convertendus erat mundus, diabolique regnum deſtruendum: id quod tot ac tantis teſtimoniis de poteſtate in dæmones aſſer- CAPUT XXXIV.

a) *I. Tim. III.* 15.   b) *Joan. XX.* 22.
c) *Ib. XIV.* 12.   d) *Marc. XVI.* 20.

CAPUT XXXIV. tum legimus, relicto etiam in Eccleſia peculiari exorciſtarum ordine, a primis Eccleſiæ ſæculis conſtanter in eadem ſervato, atque exercita poteſtate non ſolum a vivis Eccleſiæ membris, ac iis, quibus in apoſtolis ea eſt poteſtas data, verum etiam a mortuis per ſacras ipſorum reliquias, ut de ſuo ævo S. Chryſoſtomus homil. XXVI. in epiſt. ad Theſſal. et paſſim alibi, uti alii quoque SS. Patres et Scriptores eccleſiaſtici, teſtatur: „Sanctorum oſſa dæmones ſiſtunt, et excruciant, acerbiſſimiſque illis vinculis eos, qui adſtricti ſunt, ſolvunt." Et S. Ephrem in encomio SS. MM. „Martyres, ait, mortui tanquam viventes, operantur; ægrotos ſanant, dæmones expellunt, omnemque tyrannidis ipſorum nequitiam in fugam agunt."

Miraculorum vero gloria ſemper in Eccleſia per ætates in perſonis ſingulari illuſtribus ſanctitate permanſit conſpicua, apud memorias item martyrum aliorumque ſanctorum ad hodiernum usque diem, perennantibus etiam hinc inde miraculis. In vetera tempora excurrere immenſum foret. Unus inſtar omnium eſſe poteſt S. Gregorius a miraculorum frequentia thaumaturgus dictus: quem S. Baſilius in lib. de Spiritu ſancto teſtatur *a)* ab ipſis veritatis hoſtibus

a) Num. 74.

alterum Moysen appellatum. Sed hunc ad ea tempora quisquam referat, de quibus dici potest, „miracula necessaria fuisse, priusquam crederet mundus; ad hoc, ut crederet mundus;“ ut loquitur S. Augustinus lib. XXII. de civit. Dei cap. 8. inscripto: „De miraculis, quæ ut mundus crederet, facta ſunt; et fieri mundo credente non desinunt;“ quorum is cum S. Ambrosio et aliis SS. Patribus tot ae tanta reliquit testimonia. Nec minus habentur luculenta in vitis Patrum, quas probatissimi auctores conscriptas nobis reliquerunt præsertim de primis eremiticæ et monasticæ vitæ cultoribus inde a S. Antonio; alii de aliis ſanctis ſingulari miraculorum dono instructis nobis libros consignarunt, veluti Sulpitius Severus de S. Martino, de S. Benedicto et aliis SS. Gregorius M. P. et cognominis Turonensis etc. Referta ſunt his miraculis acta Sanctorum; asserta vero cumprimis habentur in canonizatione eorum, eo maxime rigore, quo examinantur miracula; ut videre est in insigni opere de beatificatione et ſanctificatione Benedicti XIV. P. M.

CAPUT XXXIV.

Non abnuerim, ſuccessu temporis per decursum medii ævi facta huiusmodi multis næniis fuisse incrustata; proclives item cumprimis extitisse his in rebus tum quoad

CAPUT XXXIV. dæmonurgiam cum thaumaturgiam illusiones ac præstigias: bonæque causæ perinde olim nimiam credulitatem obfuisse, ut nunc incredulitas irreligiosorum ævi nostri et quorumcumque aliorum a fide Ecclesiaque catholica alienorum; quos ut nihil adeo, quam hæc divina constringit in vera Ecclesia relicta, constanterque retenta potestas, ita ad eam obfuscandam oppugnandamque nihil non moliuntur. Et his, proh dolor! hodie in rebus divinis ac religiosis, ſphæram captumque ſuperantibus humanum, passim aurem præbent degeneres Ecclesiæ filii, ſibi ſuffeni: de quibus nos cautos esse voluerunt apostoli a S. Juda in Epistola Catholica notati, *ut memores ſimus verborum, quæ prædicta ſunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi, qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores, ſecundum desideria ſua ambulantes in impietatibus. Hi ſunt, qui ſegregant ſemetipsos, animales, ſpiritum non habentes.*

Horum ex numero novi hodie Sadducæi cumprimis censeri merentur, qui ſeipsos dehonestantes, divinamque e flatu Dei originem, quod est ſpirituale in homine, animam immortalem abnegantes, non nisi animale cum brutis commune in se agnoscunt. Quapropter astutus dæmon ſuo proventu inducitur, ut se in corporibus hu-

manis, unde poteſtate a Christo in Eccle- Caput XXXIV.
sia relicta expellendus esset, ad firmandam
opinionem, ac si in rerum natura non exi-
stat, occultet, obsessos tantum anima in
rabiem eam agendo, quam modo diaboli-
cam profecto passim intueri est eorum,
de quibus S. Augustinus lib. XX. de civit.
Dei c. 8. haud defuturis *a*), „donec hoc
ſæculum finiatur, qui oderint christianos,
in quorum quotidie, velut in abysso, cæcis
et profundis cordibus includatur.“ Hoc
capite proxime antecedenti iam dixerat de
misso in abyssum diabolo Apoc. XX. „Quo
nomine, inquit *b*), ſignificata est, multi-
tudo innumerabilis impiorum, quorum in
malignitate adversus Ecclesiam Dei multum
profunda ſunt corda: non quia ibi diabo-
lus ante non erat, ſed ideo dicitur illuc
missus, quia exclusus a credentibus, plus
cœpit impios possidere. Plus namque pos-
ſidetur a diabolo; qui non ſolum aliena-
tus est a Deo, verum etiam gratis odit
ſervientes Deo.“ Agit S. Doctor proxime
ſequent. capp. de miraculis tum falsis fallacia
dæmonum, olim tempore regni ſui idolola-
trici cum veris; quæ lib. XXII. præsertim
magno numero recenset facta in memoriis
martyrum, de quibus utrisque inter se com-
paratis: „Verum, inquit *c*), si qua ſimilia

a) *T. VII. p.* 584. *b*) *Ib. p.* 582.
c) *L. XXII. c.* 10. *p.* 673.

Caput XXXV. videntur, ſicut a Moyse magi Pharaonis, ſic eorum dii victi ſunt a martyribus noſtris. Fecerunt autem illa dæmones eo faſtu impuræ ſuperbiæ, quo eorum dii esse voluerunt; faciunt autem iſta martyres, vel potius Deus, vel orantibus aut cooperantibus eis, ut fides illa proficiat, qua eos, non deos esse noſtros, ſed unum Deum habere nobiscum credamus. “

CAPUT XXXV.

QUOMODO CHRISTUS NON VENERIT VOCARE JUSTOS.

Non opus est valentibus medicus, ſed male habentibus. Euntes autem discite quid est: Miſericordiam volo, et non ſacrificium. *Non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* Matth. IX. 12. 13.

Sed peccatores ad pœnitentiam.

Infiniti ut ita dicam, ambitus ſunt verba hæc. Nec enim ſolum Chriſti miſſionem, causamque oſtendunt eius adventus in terram, redemtionem generis humani; ſed etiam τὸ θεῖον divinum illud præſeferunt in modo et ratione ſolo Deo digna, infinita nempe eius miſericordia: qua ſoli illi erant indigni, qui Chriſto indignabantur

Phariſæi, ſuique ſimiles se peccatores esse non agnoscentes, quibus adeoque videretur, medico opus haud esse. Deterrimum hoc erat in Phariſæis, ut ſit in flagranti paroxiſmo, morbisque pessimis, quod ægros se, et male habentes non agnoscerent „fortes immanitate febris, non firmitate ſanitatis," ut vocat S. Augustinus *a)*. Commoda verborum Christi, *non veni vocare iustos* (quales certe nullos, ſed omnes nos peccatores invenit) interpretatio habetur in parabola de ove perdita Matth. XVIII. cui præmittuntur (quæ hiſtoriæ de Zachæo epiphonematis instar ſubiunguntur) verba: *Venit enim filius hominis, quærere, et ſalvum facere, quod perierat*, genus humanum nempe ovem perditam, de qua: *amen dico vobis*, ait, *quia gaudet ſuper eam magis, quam ſuper nonaginta novem, quæ non erraverunt.* S. Chrysostomus illud *b)*: *Non veni vocare iustos*; ironice dictum vult, veluti illud: *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus est c)*; illis vero, qui se agnoscunt non esse iustos, ſed peccatores, unice est consolationi, qua utique carebant, qui se medico atque adeo redemtore egere non agnoscebant, nec pœnitentia, cuius causa se Christus ſociabat peccatoribus, *venit* quippe

a) *In Pſal. LVIII. Serm. I. n. 8.*

b) *Hom. XXX. in Matth. n. 3. T. VII. p. 351.*

c) *Gen. III. 22.*

Caput XXXV. *vocare peccatores ad pœnitentiam*, ut apud Lucam legitur. Sic vero S. Chryſoſtomus Chriſtum loquentem inducit: „Tantum abeſt, inquit, ut peccatores abominationi habeam, ut etiam propter illos tantum advenerim. Deinde, ne illos ſupinos redderet, cum peccatores memoravit, non iam tacuit, ſed adiecit, *ad pœnitentiam.* Non enim ideo adveni, ut illi peccatores manerent, ſed ut mutarentur, et meliores evaderent." Id vero, quod Pharisæi per emundationes ſuas et ſacrificia iuſtos se exiſtimarent, quam apposite Chriſtus reprobat ſententia Oseæ: *Euntes autem discite quid est; misericordiam volo et non ſacrificium a).* Ipse nempe propitiatio noſtra eſt ſacerdos et ſacrificium pro peccatis, et male nobis habentibus medicus. „Qui miro medicandi genere, ut loquitur Ven. Beda. *b)*, *vulneratus est propter iniquitates noſtras, et livore eius ſanati ſumus.* Sanos autem, et iuſtos appellat eos, qui ignorantes Dei iuſtitiam, et ſuam volentes conſtituere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti; qui ex lege præsumentes, Evangelii gratiam non quærunt. Porro male habentes, et peccatores vocat eos, qui ſuæ fragilitatis conſcientia devicti, nec per legem iuſtificari poſſe videntes, Chriſti se gratiæ pœnitendo ſubmittunt." Talis erat Matthæus

a) Osea VI. 6. *b) In cap. V. Luc. T. V. p. 277.*

publicanus, probrosum atque exosum apud Judæos officii genus, quod publicani Romanis in exigendis vectigalibus atque tributis operam locabant, unde ethnicis accensebant, execrabanturque. Sic Christus ex eorum loquendi modo hos illis iungens dicit: *Qui autem Ecclesiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus et publicanus.* Hic autem apud Matthæum publicani connumerantur peccatoribus, ex quorum numero *multi publicani et peccatores venientes discumbebant cum Jesu et discipulis eius.* Quod Judæis perinde erat, ſive ob institutum vitæ, ſive morum pravitatem essent tales: cum quibus, quod Christus manducabat, offendebantur: uti alibi indignabantur, *quod ad peccatorem divertisset* Zachæum principem publicanorum; nec ad prædicationem Christi aut eius præcursoris attendebant dicentium: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum a)*; dum illi a Messia terrenum instaurandum exspectabant.

a) *Matth. III. 2. et IV. 17.*

CAPUT XXXVI.

DISCIPULI A CHRISTO EXCUSANTUR, QUOD NECDUM JEJUNIUM FREQUENTARENT.

Tunc acceſſerunt ad Jesum discipuli Joannis, dicentes: Quare nos, et Phariſæi, ieiunamus frequenter: discipuli autem tui non ieiunant? Et ait illis Jesus: *Nunquid poſſunt filii ſponsi lugere, quamdiu cum illis est ſponsus?* Venient autem dies, cum auferetur ab eis ſponsus, et tunc ieiunabunt etc. Matth. IX. 14. 15.

Filii ſponsi. Vix abſceſſerunt Phariſæi, qui discipulos inceſſerant, dum Christum Matthæus, vocatus a telonio in Apostolum, ad prandium invitaſſet, discumberentque ſimul multi Publicani et peccatores. Jam vero discipuli Joannis adſunt in discipulis Christi habentes, quod carperent; iidem, qui prius Joannem convenerant, ut ſupra audivimus, ægre ferentes, quod Christus etiam baptizaret, ſive eius discipuli, et omnes venirent ad eum. Vidimus ſupra Joannem ſponsum vocaſſe Jesum, ſe autem amicum ſponsi. Celebravimus ibi ſponsi nuptias, quarum pronubæ filiæ Jerusalem paſſim

compellantur in Cant. Cantic. a ſponsa Ecclesia, cui se iungere monentur et oblivisci populum ſuum et domum patris ſui Psalm. XLIV. qui inscribitur *Canticum pro dilecto*, quasi ab amico ſponsi S. Jo. Baptista dictum, in quo quid futurum ſit, veteri in novum testamentum commutato manifeste declaratur, postquam filia Sion, ut iam c. 24. notavimus, oblita fuit populum ſuum, et domum Patris ſui, cessante post natum ex virgine Messiam, generandi gloria in populo Judaico, domo Jacob. Tum deinceps futura prædicitur *omnis gloria eius filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus. Adducentur regi virgines post eam: proximæ eius afferentur tibi* (ſponso) *afferentur in lætitia et exultatione; adducentur in templum regis. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii: conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Memores erunt nominis tui in omni generatione et generationem. Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, et in ſæculum ſæculi a*). Sunt hi pro patribus Vet. Test. nati filii apostoli filii ſponsi. **Caput XXXVI.**

Animadverte iam, quam admirabiliter Christus discipulis Joannis in memoriam revocet verba illa Joannis, quibus se amicum ſponsi dixit. Christus autem discipulos ſuos vocat filios ſponsi, quos ieiunare

a) *Psalm. XLIV.* 14. *etc.*

Caput XXXVI. par non eſſet, quamdiu ſponſus cum ipſis erat: in ſeipſum cauſam inculpabilem reiiciens, quod nunc non ieiunarent, ieiunium ſimul probans, ieiunaturosque prædicens fore eos, cum ab eis auferendus eſſet ſponſus. Marcionem differentiam hanc inter diſcipulos Chriſti, et Joannis pro ſua hæreſi contra vetus teſtamentum accepiſſe ex Tertulliano diſcimus, qui totam hanc hiſtoriam inſigniter ſuo quidem ſtylo illuſtrat. „Nunc illud, inquit *a*), tuebor, ut demonſtrem, et Joannem Chriſto, et Chriſtum Joanni convenire, utique prophetæ creatoris, qua Chriſtum creatoris; atque ita erubeſcat hæreticus, Joannis ordinem fruſtra fruſtratus. Sic enim nihil omnino adminiſtraſſet Joannes, ſecundum Eſaiam vociferator in ſolitudinem, et præparator viarum dominicarum, per denuntiationem, et laudationem pœnitentiæ; ſi non etiam ipſum inter cæteros tinxiſſet, nemo diſcipulos Chriſti manducantes et bibentes, ad formam diſcipulorum Joannis aſſidue ieiunantium, et orantium provocaſſet. Quia ſi qua diverſitas ſtaret inter Chriſtum et Joannem, et gregem utriusque, nulla eſſet comparationis exactio, vacaret provocationis intentio ... At nunc humiliter reddens rationem, quod non poſſent ieiunare filii ſponſi, quamdiu cum eis eſſet ſponſus;

a) *Lib. IV. adverſus Marcionem cap. XI. p.* 422.

postea vero ieiunaturos promittens, cum ablatus ab eis ſponsus esset; nec discipulos defendit, ſed potius excusavit, quasi non ſine ratione reprehensos.“ Dicit Tertullianus humiliter Christum rationem reddere, nempe se ſuaviter adeo demittendo indulgendoque infirmitati utrinque discipulorum Joannis, animum amarum ac invidum præseferentium, et ſuorum, quos adeo humiliat, et abiecte vestimentum vetus, utresque veteres appellat, utpote necdum Spiritu ſancto in lege gratiæ innovatos, infirmos, et imbecilles, ut ostenderet, se Evangelii novitatem ſeparare a legis vetustate iuxta Tertullianum. S. Hieronymo *a)* vero in h. l. plagula vestimenti novi et vinum novum præcepta evangelica ſunt, et ſic apposite S. Gaudentius Brixiensis Neophytos hortatur: „Servate quæso, inquit *b)*, utres novos Neophyti, ne vitam veterem repetentes, et vinum effundetur, et utres peribunt. Custodite igitur regenerati hominis integram novitatem, et cœleste vinum in vestris utris conservate.“

Caput XXXVI.

Panni et utres veteres.

Dum Cantic. VII. ſponsus Christus filiabus Jerusalem ſeu ſynagogæ pulchritudinem ſponsæ Ecclesiæ adumbrat, *Guttur tuum*, post alia dicit, *ſicut vinum optimum*, quod doctrinam evangelicam Theodoretus,

a) T. IV. p. 32. *b) Serm. VIII. p. 86.*

CAPUT XXXVI.

et alii interpretantur, quæ ex ſponſæ gutture fluit. Mox vero ſponsa assumens verbum, vinum hoc, utpote ipsam divini Verbi incarnati doctrinam, declarat *dignum dilecto meo ad potandum, labiisque et dentibus illius ad ruminandum. Ego dilecto meo, et ad me conversio eius* per Incarnationem ſcilicet: qua ſpe ſponsa futura per desideria patriarcharum et prophetarum invitat ſponsum ad denunciandam evangelicam doctrinam: *Veni*, ait, *dilecte mi*, *egrediamur in agrum*, *commoremur in villis. Mane ſurgamus ad vineas*, *videamus si floruit vinea;* ad proferendum novum vinum illud, cui ferendo Christus (apostolos excusans, quod non ieiunent) dicit necdum esse, ceu utres veteres; qui fuerunt per Spiritum ſanctum innovati, quando musto pleni ſunt visi mysterii ignaris Judæis.

CAPUT XXXVII.

Caput XXXVII.

MIRACULA CHRISTI IN SABBATO.

Obſervabant Jeſum, ſi ſabbatis curaret, ut accuſarent illum. Et ait homini habenti manum aridam: Surge in medium. Et dicit eis: *Licet ſabbatis benefacere, an male? animam ſalvam facere, an perdere?* At illi tacebant. Marc. III. 2. 3. 4.

Ut ſe oſtendat beneficum, Dominum ſabbati, Patri coæqualem.

Ante omnia hic animadvertendum eſt, Chriſtum, licet in omnibus aliis miraculis cum divina potentia etiam eluceat bonitas eiusdem; *qui pertranſiit benefaciendo; et ſanando omnes oppreſſos a diabolo a)*; hoc tamen divinum attributum ſuum bonitatis, præpoſita miraculo quæſtione; an liceat ſabbatis benefacere, ingratis Judæis ſpecialiter voluit ponere ob oculos. Vix ora obtuderat Phariſæorum, diſcipulos ſuos carpentium quod ſabbato ambulantes per ſata ſpicas carperent, et iam iterum obſervant eum, ſi ſabbato curaret? ſed divinæ Chriſti reſponſioni ad interrogationem, an liceat ſabbatis benefacere, an male? Animam ſalvam facere, an perdere? refragari vel opponere, necquicquam valent; atque

a) *Act. X. 38.*

Caput XXXVII. omnino obmuteſcunt. Addit S. Matthæus XII. 11. Chriſtum exemplum addidiſſe: *Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, et ſi ceciderit hæc ſabbatis in foveam, nonne tenebit, et levabit eam? quanto magis melior est homo ove? Itaque licet ſabbatis benefacere.* Stringit comparationem hanc ſententia, quæ apud Marcum ad excuſationem diſcipulorum additur: *Sabbatum propter hominem factum est, et non homo propter ſabbatum. Itaque Dominus est Filius hominis etiam ſabbati.* Demonſtratum est hoc, dum poſtea in locum ſabbati dies Dominica est ſubſtituta, comprobatumque Chriſti Domini (occaſione huius diſceptationis cum Judæis) de ſe effatum: *Dico autem vobis, quia templo maior est hic.* Obſervat S. Joann. Chryſoſtomus, Chriſtum Jeſum ſtudioſe hæc egiſſe, ſolviſſeque ſabbatum: „Ideoque, inquit *a*), nunquam ſine cauſa ſolvit ipſum, ſed ex occaſione quadam congruenti, ut et legem abrogaret, et illi non offenderentur. Est etiam cum illud ſolvit nulla oblata occaſione; ut cum oculos cæci luto inunxit, et cum dicit. *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* " At vero fuit hæc ipſa principalis ſemper ratio, tum omnium aliorum, cum eorum ſpeciatim miraculorum, quæ ſolebat in ſabbatis facere, ut inter alia divina attributa ſuam potentiam et

a) *Hom.* XXXIX. *n.* 1. *T.* VII. *p.* 431.

bonitatem demonſtraret, et per hæc divinam miſſionem ſuam, qua abrogaturus erat cum veteri lege præter cæremonialia cætera, etiam ſabbatum: *Itaque Dominus est Filius hominis etiam ſabbati;* ut loquitur, quando Apoſtolis permiſit in ſabbato, quæ Judæi putabant non licere in ſabbatis. Ubi notanda ſunt verba S. Joann. Chryſoſtomi in mox laudata hom. XXXIX. „Quando, inquit; Dominus pro ſervis, hoc eſt, pro diſcipulis ſermonem inſtituit, ſervos in medium adducit, Davidem, et ſacerdotes; quando vero pro ſemetipſo, Patrem. Non enim ſolum excuſare volebat, ſed et æqualitatem demonſtrare. Quapropter non dixit: operatus ſum, nam et creatura operatur; ipſe vero non erat creatura, ſed operor; nam et Pater operatur; eſſentiæ quippe eiusdem cum illo erat ac poteſtatis. Idcirco non, quaſi creatura exiſtat, excuſationem profert, ſed ſicut genuinum genimen.“ Protulit Chriſtus verba illa Joann. V. 17. dum ægrotum triginta octo annorum ſanavit ſabbato, iuſſum tollere grabatum, et ambulare. Id autem ſignificabat, ſe æqualem Patri, cum Patre (qui quievit die ſeptimo, et benedixit, eumque ſanctificavit) indeſinenter nihilominus rerum incolumitati proſpicere, et operari. „Quæ non eſſet conveniens excuſatio, ut notat S. Thomas in h. l. niſi æqualis auctorita-

Caput XXXVII. tis in operando esset cum Deo *a*).“ Certe ea verba tam clara ipſis Judæis tunc erant; ut propterea magis quærerent eum interficere; *quia non ſolum ſolvebat ſabbatum, ſed et Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo b*). Pergit vero Christus, eundem se æqualem Patri Filium demonstrare aliis argumentis: *Sicut enim*, inquit, *Pater ſuſcitat mortuos; et vivificat: ſic et Filius, quos vult, vivificat. Neque enim Pater iudicat quemquam: ſed omne iudicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem.* Ne vero alium existimarent Filium hunc Dei, quam eundem illum, qui tunc loquebatur, Filium hominis, eandem in duabus naturis personam, mox, addita ſolita ſua iurandi formula: *Amen, amen dico vobis*, ait, *quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei: et qui audierint, vivent. Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipso: ſic dedit et Filio habere vitam in ſemetipso: et potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est.* Idem igitur est Filius Dei et Filius hominis, cui Pater eamdem, quam cum ipso habuit Deus de Deo, potestatem exercendam dedit etiam tanquam Filio hominis, et Apostolis post resurrectionem edixit: *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra.*

a) *T. III. p.* 533. *b*) *Jo. V.* 18.

CAPUT XXXVIII.

Caput XXXVIII.

LEX NOVA A CHRISTO IN MONTE DATA.

Videns Jesus turbas aſcendit in montem, et cum ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, et *aperiens os ſuum docebat eos.* Matth. V. 1.

S. Lucas huic ſermoni electionem apoſtolorum præmittit. Dicit habitum eſſe præſente turba diſcipulorum eius, et multitudine copioſa plebis ab omni Judæa, et Jeruſalem, et maritima, et Tyri et Sidonis, *elevatis a Christo oculis in diſcipulos ſuos*, quos ſolus commemorat Matthæus, qui non ſolum multo copioſior eſt, verum etiam ſublimiora capita complectitur perfectionis evangelicæ, prout erant ab eius diſcipulis apoſtolis imprimis in prædicatione Evangelii obſervanda, quæ ab aliis evangeliſtis non uno loco afferuntur. In V. T. lex data fuit in monte, decalogo tabulis lapideis inſculpto: voluitque etiam ſalvator noſter conſcendere montem, ut ſuo divini Verbi incarnati ore legem nobis evangelicam proponeret diffundendam in cordibus *Spiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis, ſed in*

Antiquata veteri lege.

CAPUT XXXVIII. *tabulis cordis carnalibus a*). Creditur hic primus fuiſſe ſermo Chriſti, cui ex Maritima, Tyro et Sidone ad mare mediterraneum aderant primitiæ gentium, ex quibus erat Ecclesia congreganda.

Nec prætereundum, quod dicatur Christus *aperiens os ſuum* docuiſſe discipulos: „Quod, ut S. Auguſtinus hic notat, in lege veteri aperire ſoleret ora prophetarum.“ Ex quibus ultimus præcursor Domini S. Joannes *vox clamantis in deserto* ipsum Verbum divinum iam incarnatum denunciat in Spiritu et virtute Eliæ; *ut convertat corda patrum in filios*, apostolos nempe ad Meſſiam, prædicandum ex gente Judaica ſelectos, *et incredulos*, ex gentilibus et Judæis *ad prudentiam iustorum* veteris testamenti, patriarcharum et prophetarum præprimis, qui in Christum futurum crediderunt, et prænunciarunt venturum. Quo pertinet ſermo hic in monte prima ac præcipua Christi concio, qui aperiens os ſuum auſpicium facit de beatitudine, ad quam ſuapte natura ferimur, a præstitutis autem a benignisſimo numine finibus toto cœlo aberrantes per ducatum Evangelii in orbitam revocamur; instituto hoc cumprimis ſermone ad perfectionem legis evangelicæ manifeſtandam veteri lege ad occaſum ver-

a) *II. Cor. III. 3.*

gente, in qua „per prophetas, et famulos ſuos" Deus dediſſe dicitur S. Auguſtino, „minora præcepta, quem adhuc timore alligari oportebat; et per Filium ſuum maiora populo, quem caritate iam liberari convenerat . . . . . Nec mirum eſt, quod dantur præcepta maiora propter regnum cœlorum, et minora data ſunt propter regnum terrenum, ab eodem uno Deo, qui fecit cœlum et terram *a*)." Hæc ille in exordio operis ſingularis quod fecit *de ſermone Domini in monte ſecundum Matthæum.* Rationem autem, cur ex toto Evangelio hunc imprimis ſermonem tractandum ſusceperit, mox in exordio aperit: „Sermonem, inquit *b*), quem locutus eſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus in monte, ſicut in Evangelio ſecundum Matthæum legimus, si quis pie, ſobrieque conſideraverit, puto quod inveniet in eo, quantum ad mores optimos pertinet, perfectum vitæ Chriſtianæ modum, quod polliceri non temere audemus, ſed ex ipſis eiusdem Domini verbis coniicientes. Nam ſic ipſe ſermo concluditur, ut appareat in eo præcepta eſſe omnia, quæ ad informandam vitam pertinent. Sic enim dicit: " *Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, et facit ea,*

a) *Tom. III. P. II. p.* 166. *b*) *Lib. I. n.* 1. *p.* 165.

CAPUT XXXVIII. *ſimilabo eum viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſupra petram etc.* Subiungitur mox ad terrorem et cautelam noſtram: *Et omnis, qui audit verba mea hæc, et non facit ea, ſimilabo eum viro ſtulto, qui ædificavit domum ſuam ſuper arenam. Deſcendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et fuit ruina illius magna.* Sic præparatos animo accedere oportet ad lectionem ſermonis Chriſti in monte (in quo ſecundum prudentiam huius ſæculi non niſi paradoxa proferuntur) *ut iam non ſimus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris a).* Quid hoc ſit, apoſtolus alibi etiam ex vaticinio Iſaiæ declarat *b)*: *Scriptum eſt enim; perdam ſapientiam ſapientium; et prudentiam prudentium reprobabo. Ubi ſapiens? Ubi ſcriba? Ubi conquiſitor huius ſæculi? Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi?* Quod de ſe mox conteſtatur apoſtolus Corinthiis II. 1. veniſſe ad eos *non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ*, id Chriſtus oſtendit, dum rudes piſcatores in apoſtolos elegit: et dum *aperiens os ſuum docebat eos*: ante omnia paupertatem ſpiritus ut mox videbimus, edocebat, mira exordii huius ſermonis conſenſione ac finis,

a) *Eph. IV.* 14. b) *Iſai. XXIX.* 14. *Ibid. XXXIII.* 18. *et I. Cor. I.* 19.

quo, qui audit verba hæc et facit ea, viro ſapienti; qui vero non audit ſtulto comparatur, ſtultitia nimirum iuxta apoſtolum quæ eſt ſapientia huius mundi: *Quia quod ſtultum eſt Dei*, ut idem loquitur, *ſapientius eſt hominibus*, ſuperbe nimirum de ſe ac carnaliter ſapientibus *a*): *Animalis autem homo, non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi, et non poteſt intelligere: quia ſpiritualiter examinatur.*

a) *I. Cor. II.* 14.

CAPUT XXXIX.

OCTO BEATITUDINES.

Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum est regnum cœlorum. Beati mites: quoniam ipſi poſſidebunt terram. Beati, qui lugent: quoniam ipſi conſolabuntur. Beati, qui eſuriunt, et ſitiunt iuſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur. Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt. Beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur. Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam: quoniam ipſorum est regnum cœlorum. Matth. V. 3. — 10.

Paradoxa carnaliter ſapientibus.

Eo præſtabilius, excellentiusque hic apparet ſublime in Evangelio Chriſti, quo minus opinione hominum terræ affixorum ii beati eſſe cenſentur, quos tales Chriſtus deprædicat. Chriſtum, antequam inciperet ſermonem hunc, et poſtquam eum conſummaſſet, multa miracula legimus edidiſſe, ceu benevolentiam captando ad perſuadendum paradoxa hæc Judæis imprimis, quibus se Meſſiam demonſtrare debebat, de cuius regno illi nonniſi proſpera

huius mundi ſperabant; Christus vero regnum cœlorum promittit pauperibus ſpiritu mox in prima benedictione, et in postrema, qua beati dicuntur, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, ſeu propter se et Evangelium, quod perinde erat, quandoquidem illos, qui Evangelium hoc regni prædicaturi erant, omnia manebant mala. Sic esurientes et ſitientes iustitiam, viam nempe, doctrinamque ſalutis, ſaturandos promittit, fore nimirum voti compotes in regno Christi, perinde ac illos, qui lugent, mites item, misericordes, pacificos; non vero ira, vindicta flagrantes, illiberales, immisericordes, insidias aut bella cogitantes, carnificinamque hominum, qua qui plus possint, magis cæteris beati (ut Judæi ſperabant a ſuo Messia domitore gentium et dominatore) habeantur. Non frustra misericordes inter et pacificos beati mundo corde prædicantur, a pravis affectibus vacui: *innocens manibus et mundo corde a)*;, affectu puro amoris in Deum ex toto corde, et erga proximum ſicut ſemetipsum.

Apud evangelistam Lucam *b)* quatuor tantum distinguuntur beatitudines, in quibus quomodo octo apud Matthæum contineantur, ſic explicat S. Ambrosius. „Et quidem ſcimus, ait *c)*, virtutes esse quatuor

a) Pſalm. XXIII. 3. *b) Luc. VI. 20. etc.*
c) Expos. in Luc. Lib. V. n. 62. T. I. p. 1370.

Caput XXXIX. cardinales, temperantiam, iuſtitiam, prudentiam, fortitudinem. Qui pauper eſt ſpiritu, avarus non eſt. Qui flet, non ſuperbit: ſed mitis eſt et pacatus. Qui luget, humiliatur. Qui iuſtus eſt, non negat, quod ſcit omnibus ad uſum communiter datum. Qui miſeretur, largitur de ſuo. Qui ſuum donat, non quærit alienum nec dolum proximo ſtruit. " Verba produnt, rem ſpectaſſe S. Ambroſium, atque officia mutua inter homines, paradiſo exules filios Adæ ad ærumnas, et miſerias huius vitæ natos: quomodo nimirum vitam æternam regnumque cœleſte recuperare poſſint per pœnitentiam iam a præcurſore Joanne Baptiſta primum denuntiatam, deinceps per Chriſtum Jeſum Meſſiam promiſſum in veteri teſtamento, et a Judæis deſideratiſſime exſpectatum, ſed perperam, regnum eius, in uſura rerum proſperarum huius vitæ, terrenum interpretantibus: cui falſæ perſuaſioni e diametro oppoſitæ ſunt hæ beatitudines, quibus admirabili ſimplicitate brevitateque chriſtiana huius et alterius vitæ felicitas ob oculos ponitur; huius quidem vitæ in rebus omnino contrariis, quam quibus mundus mundanique homines ſe beatos exiſtiment, quo ſuapte ſpes omnis Judæorum concidit, de beatitudine in curſu proſpero vitæ præſentis; cum potius in rebus contrariis verſati, beati a Chriſto dicantur.

Ac primum quidem *beati pauperes ſpiritu*, quo Evangelium philoſophis ſtultitia fuit Judæis ſcandalum: quo hæretici Eccleſiæ iudicium contemnunt: ſpiritu illo ſuperbiæ, quo maxime, in quo nunc vivimus præsens hoc ſæculum existimatione lucis, quæ tenebræ ſunt, turgidum inflatur, elatum opinione ſapientiæ huius mundi, quam modo ex apostolo intelleximus ſtultam feciſse Deum. Primum, quem odisse animam ſuam testatur ſapiens, est *pauper ſuperbus a)*. Quales cum essemus, docuit Christus pauperes ſpiritu esse beatos. Ut nimirum iuxta S. Jacobum I. 10. *Sic glorietur frater humilis in exaltatione ſua: dives autem in humilitate ſua . . . Exortus est enim ſol cum ardore, et areſecit fænum, et flos eius decidit, et decor vultus eius deperiit: ita et dives in itineribus ſuis marceſcet.* Non abludit S. Augustinus dum „divites, inquit *b*), intellige ſuperbos, pauperes humiles. Habeat quis multas facultates pecuniarum, si in eis non extollitur, pauper est: non habeat aliquid, et cupiat, et inflетur, inter divites et reprobos eum deputat Deus, non in arca, et domo. Nonne pauperes ſunt, qui accipiunt mandatum apostoli dicentis Timotheo: *Præcipe divitibus huius ſæculi non ſuperbe ſapere?* Quomodo eos, qui divites erant, fecit pau-

CAPUT XXXIX.

Paupertas ſpiritus.

a) *Eccli. XXV.* 3.
b) *Serm. I. in Ps. XLVIII. n.* 3. *T. IV. p.* 426.

Caput XXXIX. peres? tulit illis, quare quæruntur divitiæ. Nemo enim vult eſse dives, niſi ut infletur inter eos, inter quos vivit, et ſuperior illis videatur. Cum autem dixit, *non ſuperbe ſapere*, æquales eos fecit non habentibus; ut fortaſsis pauculis nummis mendicus plus extollatur, quam ille dives, qui audit apoſtolum dicentem: *Præcipe divitibus huius ſæculi non ſuperbe ſapere.* Unde non ſuperbe ſapere? Si faciant quod ſequitur: *Neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo, qui præſtat nobis omnia abundanter adfruendum.*" „Vis intelligere, utor verbis S. Gregorii Niſsæni Orat. I. *de Beatitudinibus a)*, quis pauper ſpiritu ſit? qui corporalem opulentiam animæ divitiis permutat: qui propter ſpiritum egenus eſt: qui terrenas divitias veluti quoddam onus excuſsit, et abiecit, ut ſublimis per aërem ſurſum rapiatur, ut inquit apoſtolus, in nube unacum Deo per cœleſtia tendens." S. Leo P. in Homilia *de gradibus Aſcenſionis ad Beatitudinem* a primo orſus quo *beati pauperes ſpiritu* dicuntur, „oſtendit, inquit *b)*, eis regnum cœlorum tribuendum, quos humilitas commendat animorum, magis quam indigentia facultatum. Dubitari autem non poteſt, quod humilitatis iſtius bonum, facilius pauperes quam divites aſsequantur: dum et illis in tenuitate amica eſt manſuetudo, et iſtis in divitiis familiaris elatio.

a) T. I. p. 771. *b) Serm. 95. p. 96.*

Verumtamen et in pleriſque divitibus invenitur hic animus, qui abundantia ſua non ad tumorem ſuperbiæ, ſed ad opera benignitatis utatur, idque pro lucris maximis numerat, quod ad relevandam miſeriam alieni laboris impenderit." S. Jo. Chryſoſtomo pauperes ſpiritu omnino ſunt *humiles, et animo contriti:* „Spiritum enim, inquit *a*), hic dicit animam, et voluntatis propoſitum." Ad ipſam autem ſcaturiginem humanæ ſuperbiæ omniſque mali in genere humano progreſſus, ſcilicet primum parentem in ſuperbiam elatum, quam ei exprobat Deus: *Ecce Adam factus eſt ſicut unus ex nobis:* „Singuli autem, pergit S. Pater *b*), qui poſt fuerunt, hinc in impietatem collapſi ſunt, ſe Deo æquales imaginantes. Quoniam igitur hæc malorum arx erat, itemque radix et fons omnis nequitiæ; morbo congruens remedium apparans, quaſi fundamentum firmum, et tutum hanc primam poſuit legem."

CAPUT XXXIX.

Beati mites.

Idem S. Chryſoſtomus, dum dicuntur a Chriſto *beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram*, non fert eos, qui terram hic intelligibilem interpretantur: quod nuſpiam in ſcripturis terra intelligibilis reperiatur, ſenſibile vero præmium in terra quærens

a) *Hom. XV. in Matth. n. 1. T. VII. p. 185.*
b) *Ib. p. 186.*

Caput XXXIX. demum ad illud Psalm. XXXVI. 11. delabitur: *Manſueti autem hæreditabunt terram.* A rege David regibus et principibus terræ possessoribus hoc dicitur: *Donec cognoſcant viventes, quoniam dominatur Excelſus in regno hominum, et cuicunque voluerit, dabit illud, et humillimum hominem conſtituet ſuper eum.* Hæc ſunt ipsa Danielis IV. 14. ad regem Nabuchodonosor verba mox throno deiiciendum. Quod et deinceps reges terræ ſuperbe ferocientes ſunt experti, quorum præcipuorum regnorum per ſtatuam Nabuchodonosor in ſomnio repræsentatorum fata et ruinas idem propheta prosequitur a). Generatim vero ſapiens Eccli. X. 8.: *Regnum*, inquit, *a gente in gentem transfertur propter iniuſtitias, et iniurias, et contumelias, et diverſos dolos.* Propiusque ad rem mox v. 17. legitur: *Sedes ducum ſuperborum destruxit Deus, et ſedere fecit mites pro eis. Radices gentium ſuperbarum areſecit Deus, et plantavit humiles ex ipſis gentibus.* Quid hoc aliud, quam quod Christus ad apostolos ſuos, quos ad constituendum ſuum regnum in terris præsentis temporis Ecclesiam misit in universum mundum, ait: *Reges gentium dominantur eorum etc. vos autem non ſic, ſed qui maior est inter vos, fiat ſicut minor etc.* Unde eos a se discere voluit: *Quia mitis ſum et humilis corde:* quos misit *ſicut oves in medio*

a) *Dan. II.*

luporum in universum mundum. Quando *in diebus regnorum illorum* Dan. II. 44. etc. *ſuscitavit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, et regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem, et consumet universa regna hæc: et ipsum ſtabit in æternum. Secundum quod vidisti, quod de monte abscissus est lapis*, Christus Jesus, *lapis qui percusserat ſtatuam factus mons magnus, et implevit universam terram* mitis et humilis corde, per mites et humiles corde pauperes ſpiritu, ad quos ille: *data est mihi omnis potestas in cælo et in terra. Euntes ergo, docete omnes gentes etc.* a); ad constituendum Christo regnum æternum in cœlo et in terra: *Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram.* Judæi vero, quos hic etiam præter discipulos alloquebatur, nec mites, nec humiles, qui Christum occiderunt, ac inani ſpe regni terreni ſuperbi non ſolum, terra, quam promissam patribus possidebant, exciderunt, verum etiam regno Christi Messiæ præter electos ex ipsis discipulos filios regni in hoc etiam mundo, quibus Christus dixerat: *Mundus gaudebit, vos autem contristabimini, ſed tristitia vestra vertetur in gaudium*; nempe: *Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.*

CAPUT XXXIX.

a) *Matth. XXVIII.* 18.

CAPUT XXXIX.

Beati, qui lugent, flent, ſecundum Lucam.

Quod vero *beati, qui lugent*, prædicantur, S. Chryſostomo „videtur totius orbis oppugnare ſententiam. Cum enim omnes putent eos, qui gaudent, et lætantur eſse beatos; eos vero qui in mœrore, paupertate et luctu verſantur, eſse miſeros, hos ille præ aliis beatos prædicat dicens: *Beati, qui lugent.*" S. Lucas VI. 20. felicitatem ex malis et ærumnis præſentis vitæ cum primis reſpicit: *Beati pauperes, beati, qui nunc eſuritis, qui nunc fletis, cum vos oderint etc.*

Reliquæ beatitudines ſecundum Matthæum.

Matthæus ad mentem potiſſimum attendit ſurſum elevato corde ſeu animo: *Beati pauperes ſpiritu; qui eſuriunt et ſitiunt iuſtitiam* τὴν δικαιοσύνην ad exprimendum ardentem animum ad quævis officia in via ſalutis ſecundum evangelii ductum: prout eadem vox infra Matth. VI. 33. habetur: dum iubemur quærere regnum Dei, et iuſtitiam δικαιοσύνην eius in operibus charitatis ac miſericordiæ conſtitutam: *Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Quod totum evangelium loquitur, inter parabolas autem imprimis illa, quando ob præſtita proximo opera miſericordiæ dicturus eſt rex (cum venerit filius hominis reddere unicuique iuxta opera ſua) *his qui a dexteris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis reg-*

num a constitutione mundi a); æternum illic in cœlis, ubi: *Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur. Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam* nempe ad quos mox V. 44. 45. *Ego autem*, inquit, *dico vobis: Diligite inimicos vestros, et benefacite his, qui oderunt vos: orate pro persequentibus et calumniantibus vos: ut ſitis filii Patris vestri, qui in cœlis est.* Hæc complexus S. Cyprianus in conclusione libri *de zelo et livore*, ad parallela Evangelii loca respiciens: „Accipientur, ait, ſacrificia tua, cum pacificus ad Deum veneris. Sensus atque actus tui divinitus dirigentur, quando ea, quæ divina et iusta ſunt, cogitaveris, ſicut ſcriptum est: *Cor viri cogitat iusta, ut a Domino dirigantur gressus eius.* Habes autem multa, quæ cogites. Paradisum cogita, quo Cain non redit, qui zelo fratrem peremit. Cogita cœleste regnum, ad quod non niſi concordes, atque unanimes Dominus admittit. Cogita, quod filii Dei hi ſoli poſſint vocari, qui ſint pacifici, qui nativitate cœlesti, et lege divina, ad ſimilitudinem Dei Patris et Christi respondeant adunati etc." Octava beatitudine ut iam meminimus, ſimiliter ac in prima regnum cœlorum promittitur: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cœlo-*

a) *Matth. XXV.* 34.

CAPUT XXXIX. *rum.* Quo autem alio, dum mala, luctus, fames, ſitis, perſecutio, quibus ſint in hac vita beati, eis proponuntur, ſolari ſe niſi alterius vitæ beatitudine poterant, apoſtoli præſertim, ad quos ſingulariter converſo ſermone: *Beati*, ait, *eſtis, cum maledixerint vobis, et perſecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adverſum vos mentientes, propter me; gaudete et exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis: ſic enim perſecuti ſunt prophetas, qui fuerunt ante vos.* Iterum hoc uno in hac vita ſolatio, ſocios ante ſe habuiſſe dolorum, et quidem prophetas, qui maxima in veneratione erant apud Judæos.

Conſideratione piarum mentium dignum videbitur comparantium Canticum B. V. Mariæ *Magnificat* cum iſtis beatitudinibus evangelicis, has ſcilicet diſperſo quidem ordine, in Cantico illo contineri, quatenus per eas ipſa hic et in æternum beata dicitur cum pauperibus ſpiritu ſecundum primam beatitudinem, dum magnificat anima eius Dominum, quando nato ex ea virgine Chriſto *abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus, et percuſſit ſtatuam*, de qua modo diximus, Deus *fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Depoſuit potentes de ſede, et exaltavit humiles. Quia*, inquit, *reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, in

Eccleſia militante regno Chriſti in terris in communione ſanctorum, hic et in æternum iuxta ſecundam beatitudinem: et exultavit ſpiritus eius in Deo ſalutari ſuo, ſecundum ſextam: fecitque ei magna, qui potens est, et ſanctum nomen eius, ſecundum ſeptimam, quæ est mater ſimul ac filia Dei: et miſericordia eius a progenie in progenies timentibus eum, ſecundum quintam: eſurientes implevit bonis, et divites dimiſit inanes ſecundum quartam: ſuſcepit Iſrael puerum ſuum recordatus miſericordiæ ſuæ ſecundum tertiam et octavam, qua ut in prima regnum cœlorum promittitur. Est hæc œconomia Evangelii Chriſti Verbi incarnati, ſublime in Evangelio Chriſti, quod Judæi non ſunt aſſecuti, dum apud eos *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Sicut locutus est ad patres noſtros, Abraham et ſemini eius in ſæcula.* Qui nempe ſunt iuxta apoſtolum veri filii Abrahæ ſecundum promiſſionem, *ſatiabuntur, cum apparuerit gloria tua* Pſal. XVI. 15. præter exſpectationem Judæorum carnalium, qui in ſuo Meſſia præſtolabantur regnum mundanum in potentia et abundantia huius ſæculi, volentes eſſe, his rebus beati in hac vita, dum Chriſtus ſuos beatos eſſe vult æterna beatitudine in regno cœlorum.

Caput XXXIX.

Caput XXXIX.

Nec refert, quod ad octavam beatitudinem ſolum, perinde ac ad primam, regnum cœlorum promittitur; mox enim qui perſecutiones patiuntur propter Chriſtum, gaudere et exultare iubentur, *quoniam merces veſtra multa eſt in cœlis.* De cæteris item beatitudinibus laudatus S. Chryſoſtomus: „Tu vero, inquit *a*), etſi non ad ſingulas beatitudines regnum dari audias, ne animo deficias. Etiamſi enim præmia diverſo appellet nomine, tamen omnes ad regnum introducit. Nam cum dicit, lugentes conſolationem, et miſericordes miſericordiam conſequentur, et mundi corde Deum videbunt, et pacifici filii Dei vocabuntur, nihil aliud per hæc omnia indicat, quam regnum cœlorum; qui enim his fruuntur, id conſequentur omnino. Ne igitur mercedem illam putes ad ſolos pauperes ſpiritu pertinere, ſed etiam ad eſurientes iuſtitiam, ad mites, et ad alios omnes. Ideo enim in ſingulis beatitudinem appoſuit, ut ne quid ſenſibile exſpectes. Neque enim beatus erit ille, qui iis coronabitur, quæ in præſenti vita diſſolvuntur, et umbra celerius prætercurrunt.“ Neque vero hæc iis contraria quis exiſtimet, quæ mox ex eadem homilia attulimus de mitibus, quibus poſſidenda terra eſt promiſſa. „Hæc porro dicit, addit *b*), non in præſentibus præmia circum-

a) *Num.* 5. *p.* 190. *b*) *Num.* 3. *p.* 189.

ſcribens, ſed cum his illa quoque ſuppeditans. Nam ſi quidpiam ſpirituale dicat, non aufert tamen præſentia; ſi vero aliquid in præſenti vita promittat, non in his tantum promiſſionem ſiſtit: nam, *quærite*, inquit, *regnum Dei, et hæc omnia adiicientur vobis.* Et rurſum: *Quicunque dimiſerit domum, aut fratres, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet in ſæculo iſto, et in futuro vitam æternam poſſidebit.*" Eodem modo antea explicaverat illud: *Beati, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* „Ubi vero, quærit *a*), dic mihi conſolabuntur? Et hic et illic. Quia enim præceptum grave admodum erat, et oneroſum, hoc ſe promiſit daturum, quod illud maxime leve poſſet efficere. Itaque ſi velis conſolationem accipere: luge. Et ne putes ænigma id eſſe, quod dictum eſt. Cum enim Deus conſolatur, etiamſi mille triſtia accidant, omnibus ſuperior eris." Iterum hic animadverte Sublime in Evangelio Chriſti, de eorum (quos, qui terrena ſapiunt, miſeros eſſe putant) beata ſorte; dum in hac etiamnum vita, maxime vero ſpe felicitatis æternæ eſſe percipis beatos.

a) *Num.* 3. *p.* 187.

CAPUT XL.

APOSTOLI SAL TERRÆ.

Vos eſtis ſal terræ. Quod ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur? ad nihil valet ultra, niſi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus. Matth. V. 13.

Salis acrimonia.

Sal terræ dicit Chriſtus apoſtolos, qui in omnem terram eſſent mittendi. Animadverte et hic ſublime in Evangelio Chriſti in natura ſalis tam acri, tam mordaci, et acerba, quo tamen in cibo condiendo nihil ſapidius, magisque neceſſarium eſt, perinde ac ad arcendam putredinem proficuum. „Prophetæ, ſcribit poſt S. Chryſoſtomum Theophilactus commentario in cap. V. Matthæi *a*), ad unam gentem miſſi ſunt, vos autem totius terræ ſal eſtis, mordentes et condientes doctrina et reprehenſionibus diſſolutos, ut non pariant vermes perpetuos: propterea ne abiiciatis mordacitatem reprehenſionum, etiamſi perſecutionem patiamini, et vobis exprobrent. Ideo dicit *b*): *Quod ſi ſal infatuatum fuerit, in quo ſalietur?* Si doctor enim infatuatus fuerit, hoc eſt, ſi non arguit, et conſtrin-

a) *Hom. XV. in Matth. n. 6. T. VII. p.* 193.
b) *T. I. p.* 25.

git, ſed mollis eſt et laxus, *in quo ſalietur* hoc eſt corrigetur? Tunc igitur foras proiicitur a doctorum dignitate: et conculcatur, hoc eſt, deſpicitur." Sed hoc minimum eſt, quod doctori ab hominibus accidere poteſt, ſi comparetur cum vindicta, quam ſumpturus eſt Chriſtus Dominus ab infatuato doctore, qui eos quos ipſe ſanguine ſuo a corruptione peccati reſtituit, iterum corrumpi ſinat. S. Chromatius Aquileienſis epiſcopus tractatu III. in S. Matth. evang. apte hoc nobis ex natura ſalis illuſtrat *a*): „Natura igitur ſalis, inquit, per aquam, per calorem ſolis, per flatum venti conſtat; et ex eo, quod fuit, in aliam ſpeciem generatur. Sic et apoſtoli, atque omnes credentes per aquam baptiſmi, per fidem Chriſti (qui in comparatione ſol iuſtitiæ dictus eſt) et per inſpirationem ſancti Spiritus Deo renati, ex terrena in cœleſtem nativitatem tranſierunt. Unde non immerito S. Apoſtoli ſal terræ a Domino nuncupantur. Et cuius terræ? promptum eſt noſcere: id eſt terræ corporis noſtri, quam dudum inſipientem, ac ſenſu vanitatis inſulſam evangelicæ prædicationis ſapientia ſalierunt. Ipſi enim ſal terræ noſtræ facti ſunt, quia per ipſos et verba ſapientiæ accepimus, et per cœleſtem nativitatem in ſpiritalem ſumus demutati naturam. Sicut igitur ſal hoc, id

a) *Bibl. PP. T. VIII. p.* 337.

Caput XL. est, ſal terræ indiſcrete omnibus opus est, id est, regibus et potentibus, divitibus, et pauperibus, ſervis et Dominis; ſic et cœlestis ſapientiæ verbum, quod per apostolos prædicatum est, necessarium est cunctis ad vitam: *omnes enim*, ſecundum apostolum, *egent gratia Dei.* Quia ſicut præsentem hanc vitam non ſine ſalis usu habemus, ita quoque illam vitam æternam ſine dono ſapientiæ divinæ adipiſci non possumus. " Quod dicit Christus de ſale *si evanuerit*, ſeu ut apud Marcum legitur *a*) *inſulsum fuerit* μωρανθῇ *infatuatum* convenit cum notione ſeu proprietate ſalis ſapidi vel insipidi a ſapore. Sic ſapientia iuxta ſuum etymon ad corpus pertinet, et de ſapiendi facultate dicitur, ſeu ſapore, quem cibis ſal præstat; inde ad animum transfertur elegantiſſima metaphora cumprimis ad thema propoſitum de ſale, ſeu ſapientia ſalutari, qua conditi de corruptione congenita reſipiſcimus, atque insipientia ablata recte ſapimus, phraſi Tertulliani de ſpectacul. c. 27. *bene ſaporati:* utque S. Ignatius M. ardore patiendi, quæ est acrimonia ſalis christiani, abreptus de ſe ad bestias damnato Romanis ſcribit: „Frumentum Dei ſum, dentibus bestiarum molar, ut purus panis Christi inveniar. " Ubi parabola fermenti, cui Christus ſimile

a) *Marc. IX.* 49.

eſse regnum cœlorum dicit, ſubintrat *a*). Fermentum naturæ acrimonia cognationem habet cum ſale, cognatumque in pane uſum, dum modicum fermentum magnæ farinæ maſsæ admixtum ſuo ſapore pervadit univerſam, viquc ſua attollit, et ſapidam efficit perinde ac ſal reliquos quosvis cibos: quo ſenſu eandem applicationem habet in Apoſtolis (quos hic ſal terræ dicit) parabola fermenti, in quibus nimirum fermentum doctrinæ evangelicæ conditum univerſæ terræ maſsam fermentavit. Quod cum doctrina etiam prava fieri poſsit, hinc eſt, quod tum a Chriſto in fermento Phariſæorum, tum a D. Paulo in deteriorem partem accipitur I. Cor. V. 6. Gal. V. 9.

a) *Matth.* XIII. 33. *b*) *Luc.* XIII. 31.

Caput XLI.

CAPUT XLI.

LUX MUNDI APOSTOLI.

Vos eſtis lux mundi. Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita: neque accendunt lucernam, et ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, et glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. Matth. V. 14. 15. 16.

Lumen a Chriſto ſole.

„Sal terræ, ſunt verba mox citati S. Chromatii *a*), Dominus diſcipulos ſuos appellavit: quia infatuata a diabolo corda humani generis per cœleſtem ſapientiam condierunt. Nunc quoque lumen mundi eos nuncupat, quia a ſeipſo, qui verum et æternum lumen eſt, illuminati; ipſi quoque lumen facti ſunt tenebrarum. Nam quia ipſe ſol iuſtitiæ eſt; non immerito etiam diſcipulos ſuos lumen mundi cognominat; quia per ipſos quaſi per quoſdam micantes radios, univerſo orbi cognitionis ſuæ lumen infudit: fugaverunt enim a cordibus hominum tenebras erroris, luce veritatis oſtenſa. Per ipſos namque illuminati etiam nos, ex tenebris

a) *Bibl. PP. T. VIII. Tract. IV. p.* 338.

lumen ſumus effecti." Poſtquam nempe ortus eſt mundo ſol iuſtitiæ, quam Chriſtus cœleſti Patri ſuo, ſatisfaciendo pro peccatis noſtris, plenam præſtitit, eius radii non per unam gentem, ſed totum mundum pervaſerunt diſcurrentibus eius lucis radiis per diſcipulos eius; iam civitas hæc ſupra montem poſita abſcondi non poteſt. *Neque accendunt lucernam, et ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt.* Tales lucernæ omnes chriſtiani eſſe debent præcipue autem præpoſiti, quos non verbo tantum, ſed etiam exemplo prælucere neceſſe eſt, *ut videant opera veſtra bona*, inquit ille, qui poſtea dicit: *attendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis a).* „Non ergo, probe notandum eſt cum S. Auguſtino *b)*, *ut videamini ab eis*, id eſt hac intentione, ut eos ad vos converti velitis, quia non per vos aliquid eſtis, ſed *ut glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt*, ad quem converſi fiant, quod eſtis."

Sublime porro huius loci in eius contextu latet. Quæritur, quomodo apoſtoli lux mundi dicantur, quando quidem Joann. I. de Joanne Baptiſta, quo non ſurrexit maior inter natos mulierum dicitur:

a) *Matth. VI.* 1.
b) *De civit. Dei lib. V. c.* 16. *T. VII. p.* 131.

CAPUT XLI. *Non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine.* Eſt vero hoc, quod Joann. V. 35. ipſe Christus de eo dicit: *Ille erat lucerna ardens et lucens.* Sic erant apoſtoli lucerna ardens et lucens a Chriſto, qui *erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, lucem accipiens, ac ſuccenſa *ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt.* Domus eſt hæc, de qua Iſaiæ II. et iiſdem verbis Michææ IV.: *Et erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur ſuper colles, et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, et dicent: Venite, et aſcendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias ſuas, et ambulabimus in ſemitis eius: quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jeruſalem*, civitate illa in monte poſita, quæ non poteſt abſcondi, quam vidit Joannes Apoc. XXI.: *Sanctam civitatem Jeruſalem novam deſcendentem de cælo a Deo, paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. Et audivi vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis. Et ipſi populus eius erunt, et ipſe Deus cum eis, erit eorum Deus.* Templum non vidit S. Joannes, in nova hac civitate Jeruſalem, quale fuit in veteri illa: *Dominus enim Deus omnipotens templum illius eſt, et Agnus. Et civitas non eget ſole, neque luna, ut luceant in ea: nam claritas Dei illu-*

minavit eam, *et lucerna eius eſt Agnus. Et ambulabunt gentes in lumine eius: et afferent reges terræ gloriam ſuam et honorem in illam.* Solummodo apud populum Judæorum *usque in hodiernum diem velamen poſitum eſt ſuper cor eorum: cum autem converſus fuerit ad Dominum, auferetur velamen*, ut nobis gentium doctor II. Cor. III. 16. ſpem facit; dum fruſtra in hodiernum usque diem Iſaias clamat l. c.: *Domus Jacob venite, et ambulemus in lumine Domini*; fruſtra Chriſtus in monte ingeminat: *Dictum eſt antiquis . . . ego autem dico vobis*; fruſtra quidem usque hodie, ſed tamen ſpe freta ſancta civitas Jeruſalem nova præſtolatur veterem, atque invitat tandem aliquando, quia *non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita etc.*

Caput XLII.

CAPUT XLII.

CHRISTUS PERFECIT LEGEM.

Nolite putare, quoniam veni ſolvere legem, aut prophetas: non veni ſolvere, ſed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat cœlum et terra, iota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant etc. Matth. V. 17. 18.

Evangelicæ legis præſtantia præ veteri et perfectio.

Quomodo ſolvere potuiſset Christus legem, qui iuxta apostolum *a)* erat finis legis, ad quem ceremoniæ etiam legis ceu figuræ referebantur, quæ dum ceſſabant adveniente prototypo, prophetiæque, quæ de Christo erant, ſunt adimpletæ, Christum, palam fit, non veniſſe ſolvere, ſed adimplere. Et quia tunc præfigurata in lege, et prædicta a prophetis nondum omnia, de ſe finem habebant, quæ adhuc erant (invidia perfidiaque potiſſimum Judæorum) et deinceps etiam usque ad conſummationem ſæculi adimplenda, ideo adiecit veluti iuramento aſſerendo: *Amen, amen dico vobis, donec transeat cælum et terra, iota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.*

a) Rom. V. 4.

Quod porro legem moralem attinet, eam nequaquam ſolvit Christus, ſed perfectam reddidit, verum ſenſum aperuit, falsasque interpretationes, et emollitiones legibus reiecit, quæ erant ſucceſsu temporis adiectæ a ſectis præsertim illis, quæ variæ, ſibi quidem adversæ, erant. Unde Christus adiecit: *Dico autem vobis, quia niſi abundaverit iustitia vestra plusquam ſcribarum, et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum a).* Insigniter hoc S. Irenæus M. illustrat parabola Matth. XXI. 33. etc. *b)* de colonis a patre familias in vineam missis: „A quo igitur, inquit, patre missus est Filius ad eos colonos, qui interfecerunt eum, ab hoc et ſervi. Sed Filius quidem quasi a patre veniens principali auctoritate dicebat: *Ego autem dico vobis;* ſervi autem quasi a Domino ſerviliter, et propter hoc dicebant: *Hæc dicit Dominus.* Quem igitur illi Dominum præconabant incredulis, hunc Christus tradidit his, qui obediunt ſibi; et qui priores, ſive primum per ſervilem legisdationem, vocaverat Deus, hic posteriores, ſive postea, per adoptionem assumpsit. Plantavit enim Deus vineam humani generis, primo quidem per plasmationem Adæ, et electionem patrum; tradidit autem colonis per eam legisdationem,

a) *Matth. V.* 20.
b) *Lib. IV. contra hæret. c.* 36. *n.* 1. *et* 2. *p.* 278.

CAPUT XLII. quæ eſt per Moyſen: ſepem autem circumdedit, id eſt circumterminavit eorum culturam, et turrim ædificavit, Hieruſalem elegit, et torcular fodit, receptaculum prophetici ſpiritus præparavit, et ſic prophetas miſit, antequam eſſet in Babylonem transmigratio, et poſt transmigrationem alteros item plures quam priores expetentes fructus, dicentes illis: *Emundate vias veſtras etc. etc.* Hæc præconantes prophetæ, fructum petebant iuſtitiæ. Non credentibus autem illis, noviſſime miſit Filium ſuum, miſit Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, quem cum occidiſſent mali coloni, proiecerunt extra vineam. Quapropter tradidit eam Dominus Deus non iam circumvallatam, ſed expanſam in univerſum mundum aliis colonis, reddentibus fructus temporibus ſuis, turre electionis exaltata ubique, et ſpecioſa. Ubique enim præclara eſt Eccleſia, et ubique circumfoſſum torcular: ubique enim ſunt, qui ſuſcipiunt ſpiritum. "

Quod primo S. Martyr animadverterat, Chriſtum principali auctoritate dixiſſe: *Ego autem dico vobis*, hoc ſæpe per decurſum ſermonis in monte legimus; illud in fine ſermonis a): *Et factum eſt, cum conſummaſſet Jeſus verba hæc, admirabantur*

a) *Matth. VII.* 28. 29.

turbæ ſuper doctrina eius. Erat enim docens eos ſicut potestatem habens, et non ſicut ſcribæ eorum, et Pharisæi. Quæ etiam verba ab aliis evangelistis relata aliis occaſionibus leguntur, ut ſupra notavimus *a*). In hoc autem ſermone in monte divinam auctoritatem ſuam maxime demonstravit, ut ex S. Irenæo notavimus, verbis illis e. g.: *Audiſtis, quia dictum est antiquis: Non occides. Ego autem dico vobis, si quis irascitur fratri ſuo, reus erit iudicio.* Ad quæ verba S. Chromatius Tr. VI. in Matth. *b*) „Hoc est, quod dicit Dominus, *non veni ſolvere legem, ſed adimplere.* Hoc est, quod minus erat addere: præcepta ſcilicet legis in melius reformare. Unde et S. Apostolus ait: *Legem ergo destruimus per fidem? Abſit. Sed legem ſtatuimus.* Rudi et duro populo legis tradita ſunt mandata iustitiæ; perfecto autem et fideli populo evangelica traduntur præcepta conſummatæ fidei, et cœlestis iustitiæ.“ Egregie prorſus idem S. Doctor, quæ deinceps ſequuntur apud Matthæum huiusmodi reformationes perfectionesque legis proſequitur; veluti proxime: *Audiſtis, quia dictum est antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico: si quis viderit mulierem etc.* Ubi vero mox veteris testamenti concupiſcentiam etiam damnantis testimonia affert; ſuntque luculenta

a) *Marc. I. 22. Luc. IV. 32.*
b) *Bibl. PP. T. VIII. p. 341.*

CAPUT XLII. omnino duo postrema decalogi præcepta. Perſpicue S. Thomas 1. 2. q. 107. art. 2. hæc diſtinxit, qua ratione Chriſtus ſua doctrina adimplevit præcepta legis tripliciter. „Primo quidem verum intellectum legis exprimendo; ſicut patet in homicidio, et adulterio, in quorum prohibitione Scribæ et Phariſæi non intelligebant, niſi exteriorem actum prohibitum: unde Dominus legem adimplevit, oſtendendo etiam interiores actus peccatorum cadere ſub prohibitione. Secundo adimplevit Dominus præcepta legis, ordinando, quomodo tutius obſervaretur, quod lex vetus ſtatuerat; ſicut lex vetus ſtatuerat, ut homo non peieraret: et hoc tutius obſervatur, si omnino a iuramento abſtineat, niſi in cauſa neceſſitatis. Tertio adimplevit Dominus præcepta legis, ſuperaddendo quædam perfectionis conſilia, ut patet Matthæi XIX. ubi dicenti ſe obſervaſſe præcepta veteris legis, dixit: *Unum tibi deeſt: si vis perfectus eſſe, vade et vende omnia, quæ habes.*“

Singulis porro, quæ modo diximus, ſimul collectis probeque conſideratis, palam fit, quam ſublimiter et adæquate Chriſtus finem, œconomiamque adventus ſui declaraverit, amoliendo a ſe ſuſpicionem, ac ſi adveniſſet, ſolvere legem aut prophetas; cum eſſet quidem abolendum vetus Teſtamentum cum ſuo cultu cæremoniali,

destructis urbe et templo, quibus erat af- Caput
fixus, ſuapte ceſſaturo: eſſetque reiecta XLII.
ſynagoga, ac republica Judæorum diſſipata,
Eccleſia per totum orbem congreganda ex
gentibus, iugo legis ſoluto, prout in concilio Hieroſolymitano fuit ſtatutum, promulgatumque his auctoritate divina verbis: *Viſum eſt Spiritui ſancto, et nobis etc.* agente cumprimis gentium apoſtolo, atque in ſuis epiſtolis ad Romanos, Galatas et Hebræos præſertim legalium inutilitatem, inanitatemque demonſtrante. Alia porro ſunt, quæ Paulus abolenda, Chriſtus adimplenda, et ad perfectionem deducenda ſtatuit in lege.

Caput XLIII.

CAPUT XLIII.

SCANDALA PRÆSCINDENDA.

Quod ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, et proiice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et ſi dextera manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam, et proiice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam. Matth. V. 29. 30.

Evitando quaſcunque peccandi occaſiones.

Quam admirabilis eſt Chriſtus Dominus noſter non ſolum in ſublimitate præceptorum, ſed etiam in vi et energia ea nobis inſinuandi! *Vivus eſt enim*, dici hic poteſt cum apoſtolo *a*), *ſermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti: et pertingens usque ad diviſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque et medullarum.* Inſaniebant, qui ad literam hic abſciſſionem membrorum acceperunt cum Origene, qui alias tantopere in ſenſu allegorico S. Scripturæ exceſſit, et aberravit; metaphoram autem hic varii varie, expoſuerunt, accomode omnes ac recte, prout variæ ſunt ſcandalorum

a) *Hebr. IV.* 12.

occaſiones et inſidiæ, hostes animæ foris, et intus nobis ipſis, uti ipse verborum contextus innuit; notavitque S. Hieronymus in h. loc. *a*): „Quia ſupra de concupiſcentia mulieris dixerat; recte nunc cogitationem, et ſenſum in diverſa volitantem *oculum* nuncupavit. Per dexteram autem et cæteras corporis partes voluntatis et affectus initia demonſtrantur: ut quod mente concipimus; opere compleamus.“ Sic etiam S. Hilarius in oculo dextero intelligit affectum quemlibet animi. Et ſæpe laudatus S. Chromatius Tr. VIII. in S. Matthæi Evangelium *b*): „Non oculum mihi, ait, vel manum corporis humani ſignificat, ſed oculum vel manum cordis: id est ſenſum malæ concupiſcentiæ; et carnalis deſiderii abſcindi de cordibus præcipit, unde omnia mala procedere ipſe Dominus in Evangelio manifeſtat; dicendo: *De corde enim exeunt cogitationes malæ; homicidium; adulterium; blaſphemiæ; falſa teſtimonia, et cætera; quæ coinquinant hominem.* Verum, corpus detruncare nihil proficit ad malæ mentis emendationem; in qua totus gurges est vitiorum.“ Nihilominus tamen etiam extra mentem, interioremque hominem; exteriores a nobis ipſis, vel ab obiecto adveniunt occaſiones; cauſæ et fontes ſcandalorum, qui ſint præſcindendi.

a) *T. IV. p.* 18. *b*) *Bibl. PP. T. VIII. p.* 343.

CAPUT XLIII. Nec fruſtra a Chriſto oculus primo nominatus eſt, de quo queritur propheta: *Oculus meus deprædatus eſt animam meam*, vel etiam manus, et pes; eoque nomine alia membra, quibus occaſionem peccandi accipimus, et in mala ruimus. „Obturandæ aures ſunt, ſunt verba S. Valeriani episc. Cemelienſis homil. VI. de otioſis verbis *a*), opponentes ſcutum fidei: quo facilius omnis lenocinantis vocis excludatur auditus. Adhibenda etiam disciplina, quæ oculorum deſideria repellat, et tabeſcentis cordis incitamenta compeſcat. Nam ita docet evangeliſta dicens: *Si te ſcandalizat oculus tuus, erue eum.* Nemo, dilectiſſimi, in hoc credat huius ſententiæ ſtare rationem, quaſi Dominus humanum corpus deformare velit, quod ad ſimilitudinem ſuam plasmavit, et ad ſpeciem ſuæ dignitatis inſtituit. Hoc eſt oculos eruere, quæ ſunt in homine turpia reſecare, et viles actus emendatione compeſcere: caſtigatis illecebris truncare luxuriam, et bono conſcientiæ, manus improbæ cupiditatis abſcindere. Ille autem manus ſuas incidit, qui in ſe infidelitatis tela confregerit, et iuſto iudicio, infidelitatis calamos amputarit. Ad ſalutem igitur animæ pertinet, ſi debilitentur vitia iniquis actibus enutrita; et radicitus evellatur impiorum aſpectus oculorum:

a) *Pag.* 10. *ed. Auguſt. anno* 1757.

quibus cito mortis ſtimulus acquieſcit, ſi hæc, quæ ſuperius dixi, integra et illæſa permiſeris dominari.“ Recuſæ ſunt hæ S. Valeriani homiliæ poſt Sirmondi editionem ad calcem operum S. Petri Chryſologi, qui ſermone XXVII. de *ſcandalo tollendo* adhuc aptius deſcribit ſcandalum, „quod nobis, inquit *a*), noſtris generatur ex ſenſibus, cum fallimur oculis, cum decipimur auditu, capimur odore, et ſapore vitiamur. Unde Eva vetiti et lethalis cibi ſic guſtu eſt fauciata, ſic viſu. *Et vidit*, inquit, *mulier, quod bonum eſt lignum ad manducandum, et quod gratum oculis ad videndum, et ſpecioſum eſt ad intuendum.* Bene ergo Dominus adiecit, ſcandalizare ſenſus ipſos, dicendo: *Si ſcandalizaverit te oculus tuus, aut manus tua, abſcinde et proiice abs te: melius eſt tibi ſine oculo et manu venire ad vitam, quam tota corpore ingredi in gehennam.* Et quamvis dominus lapſus, et vitia iuſſerit ſic nos ſecare, non membra: tamen ſi hoc Eva mater humani generis ſic feciſſet, melius ſine oculo et manu in vitam veniſſet, quam totam poſteritatem ſuam lamentabilem miſiſſet in mortem.“ Patet hinc ratio verborum Chriſti: *expedit tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam*, nec quidquam exaggerata, ſi diſpendii ſiat æquiparatio. Quis

a) Pag. 47.

Caput XLIII. enim neget? Si oculus tuus deprædetur animam tuam: manus vel pes instrumenta delicti lethaliſque culpæ cauſa interitus tui æternæque damnationis eſſent, melius utique fore, his aut quibusvis aliis corporis membris carere. *Quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, anima vero ſua detrimentum patiatur.*

Sed quando de membrorum uſu res eſt, ſublato abuſu, ſcandalum abeſt: quod vero cum aliunde infinitis ex occaſionibus cauſisque externis et internis oriri poſſit naturæ donis, corporis et animi talentis, temperamentis, forma, educatione, aliisque circumſtantiis vitæ, fortunæ, officiorum, converſatione ſocietateque humana, qua mutuo conſtringimur. Ad hoc vinculum potiſſimum animum reflectens S. Jo. Chryſoſtomus: „Si enim, ait *a*), de membris loqueretur, non de uno diceret oculo, neque dextrum ſolum poſuiſſet, ſed ambos. Nam qui a dextro ſcandalizatur, idipſum haud dubie patietur a ſiniſtro. Cur ergo dextrum oculum poſuit, et manum adiecit? ut diſcas non de membris ſermonem eſſe, ſed de iis, qui nobis amicitia iunguntur. Si quempiam ita amas, inquit, ut eum dextri oculi loco ponas, aut ita utilem putas, ut pro manu illum habeas; ſi lædit

a) *Hom. XVII. in Matth. n. 3. T. VII. p. 225.*

animam tuam, et hunc abſcinde, et vim dicti perpende.“ Sic etiam S. Iſidorus Peluſiota „oculum, inquit *a*), ac manum dextram optimus Chriſtus neceſſariorum, ac fidiſſimorum amicorum propinquitatem nuncupavit.“ Et S. Auguſtinus præterea hic tantam vim ac violentiam in verbis Chriſti notanter obſervat, quam nobis in ſupprimendis pravis affectibus, removendisque quibusvis peccandi occaſionibus inferre debemus, quæ par ſit effoſſioni oculi, abſciſſioni manus aut pedis. „Hic vero magna opus eſt fortitudine ad membra præcidenda. Quidquid enim eſt, quod ſignificat oculus, ſine dubio tale eſt, quod vehementer diligitur. Solet enim et ab eis, qui vehementer volunt exprimere dilectionem ſuam ita dici: Diligo eum ut oculos meos, aut etiam plusquam oculos meos. Quod autem additum eſt, *dexter*, fortaſſe ad augendam vim dilectionis valet *b*).“

a) *Lib. I. Ep.* 83. *p.* 27. *b*) *De Sermone Domini in monte lib. I. n.* 36. *T. III. P. II. p.* 180.

Caput XLIV.

CAPUT XLIV.

DILECTIO INIMICORUM.

Audiſtis, quia dictum eſt: Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos:* et orate pro perſequentibus, et calumniantibus vos: ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cœlis eſt: qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos et malos, et pluit ſuper iuſtos et iniuſtos. Matth. V. 43. 44.

Divina huius dilectionis exempla.

„Vide quomodo ultimam bonorum coronidem poſuit, perorat in h. l. S. Jo. Chryſoſtomus *a*), propterea enim docet, non modo colaphis cædentes ferre, ſed etiam dexteram maxillam præbere; neque tantum tunicæ pallium adiicere, ſed cum angariante ad unum milliarium per duo milliaria incedere; ut quod his longe maius erat, cum omni facilitate ſuſciperes. Et quid, inquies, his maius eſt? Illum, qui hæc faciat, non inimicum habere: immo; et aliquid aliud maius. Non enim ait, ne odio habeas, ſed, dilige: non dixit, ne lædas, ſed, benefacito.“ Ob oculos nobis hic ponit S.

a) *Hom. XVIII. n.* 3. *T. VII. p.* 238.

Google

Pater modum admiratione dignum, quo nos paulatim Christus velut per gradus ad dilectionem inimicorum disponit, ac inducit.

Sed longe admirabilior est ratio, qua Christus deinceps ſermonis argumentum proſecutus, utitur ad eos, quos tunc alloquebatur, Judæos ſcilicet, perſuadendos. Nihil apud eos exoſius, deteſtabiliusque erat Publicanis, et Ethnicis. Quid ergo magis horruerint Judæi, quam his æquiparari, et ſimiles eſſe, quos illi ceu maledictos a Deo et contaminatiſſimos hominum execrabantur? nec adeoque quidquam excogitari, atque in medium proferri poterat, quo magis commoveretur eorum animus, quam ſi obiici eis poſſet, ſe non magis perfectos ſtudioſosque virtutis eſſe, quam eos, quos ſceleratiſſimos haberent. Atqui vero iſta ratione ad perfectionem dilectionis amoremque inimicorum eos provocat: *Si enim*, inquit, *diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne et publicani hoc faciunt? Et si ſalutaveritis fratres veſtros tantum, quid amplius facitis? Nonne et Ethnici hoc faciunt. Eſtote ergo vos perfecti, ſicut et Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Hoc vero quam ſublime, quam divinum, amore inimicorum æquiparari ipſi Deo? Quæ, quæſo ad perſuadendum ratio huic par eſſe poterat? Quod perfectionis inſtar huic

CAPUT XLIV. comparandum? Insigniter exemplum hoc Patris cœlestis S. Cyprianus illustrat in libro *de bono patientiæ:* „Sic, ait, perfectos dixit fieri Dei filios, ſic consummari ostendit et docuit cœlesti nativitate reparatos, si patientia Dei Patris maneat in nobis, si ſimilitudo divina, quam peccato Adam perdiderat, manifestetur, et luceat in actibus nostris. Quæ gloria est, ſimilem Deo fieri, qualis et quanta felicitas habere in virtutibus, quod divinis laudibus possit æquari.“ Et paulo ante: „Videmus, inter alia ſcribit, inseparabili æqualitate patientiæ nocentibus et innoxiis, religiosis et impiis, gratias agentibus et ingratis Dei nutu tempora obsequi, elementa famulari, ſpirare ventos, fontes fluere, grandescere copias messium, fructus maturescere vinearum, exuberare pomis arbusta, nemora frondescere, prata florere etc.“ Sunt hæc omnia beneficia, in genus humanum degener et ingratum, cœlestis Patris, *qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos et malos, et pluit ſuper iustos et iniustos*, ad quem locum respicit S. martyr.

Non poterat tunc iam omnium maximum Patris cœlestis, qui unigenitum Filium ſuum misit in mundum, ut se pro inimicis traderet in mortem, exemplum proponere. Ipsis amicis ſuis confidentioribus discipulis

apoſtolis ante ſuam mortem maiorem charitatem neminem habere dixit, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Obſcurius tamen quid de eo, quod iam fecerat veniendo in hunc mundum ad nos inimicos reconciliandos Patri, eratque conſummaturus, ſeipſum victimam offerendo in cruce, indicavit, quando eos ad dilectionem inimicorum hortatur dicendo: *ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos et malos:* dum iam in Chriſto Jeſu unigenitum Filium ſuum ſolem iuſtitiæ in terris oriri fecerat. Omnis hinc pendet ſpes noſtræ ſalutis, quod Deus pro nobis inimicis unigenitum Filium dederit reconciliandis, cui ipſo facto renunciamus, ſi ipſi inimicos diligere recuſamus. Ita S. Joann. Chryſoſtomus in h. l. commentatur: „Etenim, inquit *a*), illos non modo non odit, ſed etiam beneficio afficit eos, qui ſe iniuria afficiunt. Quamquam nulla ſit hac in re æqualitas, non ſolum propter beneficii magnitudinem; ſed etiam propter dignitatis eminentiam. Tu enim a conſervo deſpiceris, ille autem a ſervo, quem ſexcentis beneficiis affecit. Et tu quidem verba donas, dum pro illo precaris; ille vero res admodum magnas et mirabiles, ſolem accendens, et annuos imbres ſuppeditans. Attamen ſic concedo te

Caput XLIV.

a) *Hom. XVIII. n. 4. T. VII. p.* 239.

CAPUT XLIV. æqualem eſse, quantum poteſt homo. Ne itaque odio habeas hominem, qui te malo afficit, cum tibi tot bona conciliet, et ad tantum te honorem ducat, ne maledicas ei, qui te damno afficit: alioquin et laborem ſustinebis, et eius fructu privaberis; damnum feres, et mercedem perdes, quod eſt extremæ dementiæ, quod ſcilicet cum graviora ſustinuerimus, minora non feramus. Et quomodo, inquies, poteſt hoc fieri? Cum Deum videas hominem factum, tantum deſcendiſse, et tanta pro te paſsum eſse, interrogas adhuc, et ambigis, quomodo poſsumus iniurias conservis remittere? Non audis illum in cruce dicentem: *Dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt?* Non audis Paulum dicentem: *Qui aſcendit ſursum, et ſedet in dextera, interpellat pro nobis?* Non vides, quomodo poſt crucem et aſcenſionem Judæis, qui ſe interfecerant, miſerit apoſtolos, qui ſexcenta illis afferrent bona? idque cum mille ab ipſis eſsent paſsuri mala?"

CAPUT XLV.

VANA GLORIA FUGIENDA IN ELEEMOSYNA.

Caput XLV.

Cum facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in ſynagogis, et in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. *Te autem faciente eleemoſynam; neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua:* ut ſit eleemoſyna tua in abſcondito, et Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi. Matth. VI. 2. 3. 4.

Apud nos ipſos perinde ac alios vana gloria cavenda.

Cum tubarum uſus fuerit ad convocandum populum tum alibi gentium, cum ſolemnis maxime apud Judæos, nihil excogitari contra eos, qui auram captant popularem, exiſtimationemque hominum, potuit accomodatius, eſſeque aut dici, perinde ac regula illa, quæ ſequitur ad vanam non tantum in dandis eleemoſynis gloriam, verum etiam inanem complacendi ſibi ipſi, et de bono opere intumeſcendi occaſionem declinandam, dum vult neſcire ſiniſtram, quod facit dextera. „Qui autem, inquit S. Theophilus Antiochenus *a*), benefaciunt,

a) Inter opera S. Juſtini lib. III. ad Autol, n. 14.

Caput XLV. eos non gloriari docet, ne ſtudioſi ſint hominibus placendi: *Neſciat enim*, inquit, *tua ſiniſtra, quid faciat manus dextera tua.*" „Rurſus hic, ſunt verba S. Jo. Chryſoſtomi *a*), non manus ſubindicat; ſed hyperbolice id poſuit. Nam ſi fieri poſſet, inquit, ut tu ipſe ignorares; illud etiam curandum eſſet, et ſi poſſet fieri; ipſas manus miniſtrantes latere deberet." Dextera in honore eſt, ac laude poſita etiam paſſim in ipſa ſcriptura ſacra; deſignatque bonum rectumque opus quod fit; ad ſiniſtram damnandi reponentur in extremo iudicio; quo cuique actioni iuſtum ſtatuetur pretium, atque ſingillatim operibus miſericordiæ ſua merces tribuetur, ſi recto fine ac ordine fiant, non perverſo ſibi aut aliis placendi, laudesque hominum quærendi ſtudio.

Pulcherrime igitur ac ſublimiter hic cavemur, ne dexteram quamcunque actionem ac opus bonum faciendo, illud ſiniſtra intentione aut quovis alio modo corrumpamus, pervertamusque, „quapropter, ut animadvertit S. Auguſtinus in li. l. *de Sermone Domini in monte b*); nihil conſequentius ſiniſtra videtur ſignificare, quam ipſam delectationem laudis. Dextera autem ſignificat intentionem implendi præcepta divina.

a) *Hom. XIX. n. 2. T. VII. p.* 245.
b) *Lib. II. n. 8. T. III. P. II. p.* 203.

Cum itaque conſcientiæ facientis eleemoſinam miſcet ſe appetitio laudis humanæ; fit ſiniſtra conſcia operis dexteræ: *Neſciat ergo ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua*, id eſt, non ſe miſceat conſcientiæ tuæ laudis humanæ appetitio, cum in eleemoſyna facienda divinum præceptum contendis implere."

Cum, quidquid ſumus, et poſſidemus Dei beneficio habeamus, nihil iniquius eſt, quam aliquid nobis in acceptis ferre, nec ad eum referre, qui eſt omnia in omnibus ac unicus finis, cui ſoli debetur omnis honor et gloria; quam ſi, in quoquam ei detractam, nobis adſcribimus, ut honorificemur ab hominibus, non niſi illud nobis reliquum eſt, quod Chriſtus cum aſſertione ſoliti ſui iuramenti edixit: *Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam*; propriam nimirum inanem illam gloriolam, quam apud homines aucupamur. Tam immenſa vero eſt divinæ benignitatis dignatio, ut quidquid aliis benefacimus, quaſi ſibi ipſi factum accipiat, dicturus aliquando ad eos, *qui a dextris erunt* a): *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi: eſurivi enim, et dediſtis mihi manducare: ſitivi, et dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, et collegiſtis me: nudus, et cooperuiſtis me: infirmus, et viſitaſtis me: in carcere eram, et*

a) *Matth. XXV.* 34.

Caput XLV.

veniſtis ad me. Stupentes mirantur ipſi tantam beati benignitatem *dicentes: Quando te vidimus esurientem, et pavimus te? etc. Et reſpondens rex, dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Unde et Deus ſeipſum in æterna beatitudine conſtituit mercedem noſtram magnam nimis, quam meremur, quidquid in nomine eius facimus, aut aliis benefacimus. Igitur incomparabile ac infinitum eſt intervallum inter modicum illud lucrum et inane, quod capit animus ex vana gloriola tum in ſeipſo delectando, cum etiam ab aliis captando hominibus, ſiquidem etiam cum terreno quocunque commodo ac utilitate ſit coniuncta, quamcunque grandis ſit proventus, si cum eo comparetur quodvis leve præſtitum proximo in nomine Chriſti officium vel beneficium tantummodo aquæ frigidæ. Tantumque intereſt, an recta vel ſiniſtra intentione quis eleemoſynam exhibeat, aut alia proximo opera charitatis, ut inde dependeat, an ad dexteram ſit collocandus quiſquam in parato nobis à conſtitutione mundi regno.

CAPUT XLVI.

ORATIO QUOMODO INSTITUENDA.

Cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauſo oſtio, ora Patrem tuum in abſcondito: et Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi. Orantes autem, nolite multum loqui ſicut ethnici: putant enim quod in multiloquio ſuo exaudiantur. Nolite ergo aſſimilari eis: ſcit enim Pater veſter, quid opus ſit vobis, antequam petatis eum. Sic autem orabitis: *Pater noſter etc.* Matth. VI. 6. etc.

Battologia cavenda.

Chriſti doctrina hic, uti in reliquo hoc ſermone in monte ad univerſum genus humanum pertinet, non ad homines ſeorſim in ſocietate diſiunctos, et coniunctos, quibus publici ſunt orationis conventus; dum vult orantem intrare in cubiculum ſuum, ac orare Patrem in abſcondito: ſiquidem oratio præciſe ad Deum dirigitur, atque etiam converſatio cum Deo dicitur; quæ utique haud opportunius quam clauſo oſtio, vel ob ipſam humanæ mentis volubilitatem, et diſtractiones quaſcunque animi peragitur.

CAPUT XLVI. Eadem porro hic eſt ratio ac de eleemoſyna et ieiunio iubente Chriſto ungere caput, et faciem lavare: *Ne*, ait, *videaris hominibus ieiunans*, contra vanæ gloriæ ſtudioſos, orationem inſtituentes, *ut videantur ab hominibus*; contra battologiam, itemque, quem uſu ſui ævi Theophylactus Battariſmum nominat, „Battariſmus autem, ait in h. l. *a*), eſt vox inarticulata, qualis eſt puerorum. Tu ergo, addit, ne nugax ſis et multiloquus. Non ſunt longæ preces faciendæ, ſed breves quidem et crebræ: oportet enim pauca loquentes perſeverare in precibus.“ Sic ex uſu monachorum Ægypti S. Athanaſius in fragmentis ſermonum, ſive commentar. in Matth. *b*) „longas hic orationes, ſed non frequentes averſatur. Jubet enim ſine intermiſſione orare.“ Battologia S. Gregorio Nyſſeno ex etymo eſt, „quaſi dicas: linguæ volubilitas et vanus ſermo,“ in Serm. I. de oratione *c*), ubi eam pluribus deſcribit. Id certe non eſſe, quod orandi impatientes ſibi perſuadent, demonſtrat exemplum Chriſti in oratione non ſemel pernoctantis.

Pater noſter in cœlis etc. Chriſtus nobis verbis illis: *Scit enim Pater veſter, quid opus ſit vobis, antequam eum petatis*; fiduciam inculcare erga cœ-

a) *T. I. p.* 31. *b*) *Bibl. PP. T. V. p.* 179.
c) *T. I. p.* 717.

lestem Patrem nostrum vult, ut eum tum alias nominat, cum vero in ipsa formula orationis, deditque nobis potestatem filios Dei fieri: „Ut qui, utor verbis S. Athanasii *a*), inferius antea geniti fuerant, desuper ſecundo gignerentur, id est, ex Deo. Ipse igitur matrem duntaxat habet in terra: et nos Patrem duntaxat habemus in cœlo. Quocirca filium hominis ſeipsum appellat, ut homines Deum vocarent Patrem in cœlis. *Pater noster*, inquit, *qui es in cœlis.*“ „O maximam Dei, exclamat S. Cyrillus Hierosolymitanus *b*), in homines iunctam cum amore clementiam! Tantam his, qui a se defecerunt, atque in extremis malis extitere, iniuriarum oblivionem, et gratiæ participationem indulsit, ut et Patrem appellarent. *Pater noster, qui es in cœlis.*“ „Vide, hic perorat S. Joann. Chrysostomus *c*), quomodo ſtatim auditorem erexit, et omne beneficii genus in prooemiis memoravit. Nam qui Patrem Deum appellavit, et peccatorum remissionem et ſupplicii abrogationem, et iustitiam, et ſanctificationem, et redemptionem, et filiorum adoptionem, et hæreditatem, et fraternitatem cum unigenito, et ſpiritus dona, hac una denominatione confessus est.“

a) *De Incarnat. contra Arianos n.* 8. *T. I. P. II. p.* 875.
b) *Catech.* XXIII. *Mystag. V. de ſacra Liturg. n.* 11. *p.* 328. *etc.* *c*) *Hom.* XIX. *in Matth. n.* 4. *T. VII. p.* 249.

Caput XLVI.

Filii quales nos?

Sed enim in tali dignatione divina, qualem nos exhibere affectum filialem, qualesque nos eſſe oporteat, ne temere Patrem cœleſtem vocemus, invocemusque, audiamus S. Isidorum Pelusiotam *a*), indeque ſimul discamus, quam iure merito orationem Dominicam vocet Tertullianus in prooemio libri de oratione *b*) *Breviarium Evangelii*, quæ quippe divinam omnem circa humanum genus diſpenſationem ac Evangelii Chriſti œconomiam complectitur. Quam quomodo in oratione perſequi, et ne a ſcopo aberremus, cavere nobis debeamus, memoratus S. Iſidorus ſingillatim edocet per ſeptem orationis dominicæ petitiones. „Quocirca, ſunt eius verba *c*), quavis ſuperiorem audacia eum eſſe arbitror, qui cum nihil eorum faciat, quæ laudabilem deceant filium, tamen auſit Patrem appellare omnium rerum Dominum: quique cum ea agat, ex quibus male audiat divinum nomen, dicere tamen aggrediatur: *Sanctificetur nomen tuum*; et cum ſatelles clariſſimus ſit diaboli, qui tyrannidem in genus humanum invaſit, et exercet, tamen dicat: *Adveniat regnum tuum*; hoc eſt, conſpiciaris tyrannide oppreſſis rex victorioſus, adverſus peccatum opem inſuperabilem ferens. Præterea, nihil cum faciat eorum, quæ vult Deus,

a) *Edit. Paris. anno* 1638. *b*) *Pag.* 130.
c) *Lib. IV. ep.* 24. *p.* 424.

Caput XLVI.

tamen ſimulare virtutem, ac dicere: *Fiat voluntas tua, ut in cælo, et in terra.* Cumque teipsum deliciis ac luxui manciparis, et multa non ſolum ad victum ſed etiam ad luxuriam reposita iam habeas viatica vitæ, tamen orare: *Panem noſtrum quotidianum* (hoc est animæ convenientem, aut carnis ſuſtentationi ſufficientem) *da nobis hodie.* Nam particula *hodie*, quotidianam ſubminiſtrationem ſignificat. Intelligentem enim facultatem animæ in ſupernam philoſophiam perducens, ipsum quoque petitionis tempus definit. Ad hæc, cum implacabilis atque crudelis ipse ſis, dicere: *Remitte nobis debita noſtra*; cumque malorum tenacem ſerves memoriam, et ultionis omnem excedas modum, dicere: *Sicut et nos remittimus debitoribus noſtris.* Quique in tentationes ſeipſum coniiciat, et nullam non ſecet viam, quæ ad pericula ducat, tamen nunc dicere: *Ne inducas nos in tentationem*; id est eiusmodi, ut non modo risum, verum etiam omnem indignationem mereatur. Porro cum volens lubensque hostem generis humani ſequaris (neque enim per vim, neque per tyrannidem, ſed dolo et fraude noſtri potitur) dicere: *Sed libera nos a malo.* Denique dicere quidem, *Quia tuum est regnum, et potentia et gloria*, ſed eum interim pro nihilo putare, a quo omnis potentia et gloria tanquam ex fonte profluit, tale est,

CAPUT XLVI. ut venia maius in ſe crimen complectatur. Quapropter illi ſoli poſt admirandum illum, qui in divino baptiſmate contigit, partum, et poſt novam ac peregrinam puerperiorum legem, hanc orationem rite ac iure recitare poterunt Deum *Patrem* appellantes, qui filiorum germanam indolem oſtendunt. Illi poterunt dicere: *Sanctificetur nomen tuum;* qui nihil ſcelerati committunt. Illi et hoc: *Adveniat regnum tuum;* qui ea fugiunt, quæ tyranno voluntatem pariunt. Illi et hoc: *Fiat voluntas tua;* qui ipſis factis hoc ſe operam dare declarant. Illi etiam: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie;* qui luxui ac deliciis nuntium remiſerunt. Illi et hoc: *Remitte nobis debita noſtra;* qui veniam iis tribuunt, qui in ipſos deliquerunt. Illi et hoc: *Ne nos inducas in tentationem;* qui neque ſemetipſos, neque alios in hanc coniiciunt. Illi et hoc: *Libera nos a malo;* qui cum Satana perpetuum et irreconciliabile gerunt bellum. Illi denique vere dicere poterunt: *Quia tuum eſt regnum, et potentia et gloria;* qui ad ipſius verba contremiſcunt, eaque re et opere oſtendunt. Non enim tantum efficere valet ipſa huius precationis notitia, quam mores et vita precantis."

CAPUT XLVII.

DIMITTE, ET DIMITTETUR TIBI.

Si dimiſeritis hominibus peccata eorum: dimittet et vobis Pater veſter cœleſtis delicta veſtra. Si autem non dimiſeritis hominibus: nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra. Matth. VI. 14. 15.

Conditione reciproca nobis Deus dimittit peccata.

Quemadmodum vidimus paulo ante in eleemoſyna, ſic in aliis omnibus operibus miſericordiæ erga proximum clementiſſima pietate ſua Chriſtus ea tanquam ſibimet facta agnoſcit, ut id etiam ad inſtar iuramenti alibi affirmet: *Amen dico vobis, quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis a)*; ita e contrario: *Amen dico vobis*, ait, *quamdiu non feciſtis uni de minoribus his, nec mihi feciſtis:* tum alias ſæpe conteſtatur, non niſi tunc nobis dimittendum fore, ſi et nos aliis dimittamus.

Quam vero ſublime eſt et pro noſtra adoptione in filios Dei plane divinum, nec quidquam nobis excelſius, noſtræque exilitati excellentius et ad honoris faſtigium maius excogitari poteſt, quam Deum ve-

a) *Matth. XXV.* 40.

CAPUT XLVII. luti ex condicto nobiscum æquisque conditionibus tanquam parem cum pare agere. At vero memores nos ſimus oportet ſponſionis reciprocæ factæ, datæque fidei, quam toties renovamus, quoties orationem Dominicam coram Deo fundimus. Quæ noſtrum reſpectu eo eſt dignantior, quo maior ac infinita eſt inter paciſcentes veluti partes intercapedo. Accedit et illud immenſum divinæ erga nos pietatis argumentum, quod ſicut benigniſſimum numen tanquam ſibi factum, quod aliis benefecerimus, in acceptis fert; ita etiam male in alios facta ceu in ſe delictum reputat. Ecce conditionem, quam nos ipſi magiſtro divino ponimus, dum dimitti nobis debita noſtra petimus, *ſicut et nos dimittimus debitoribus noſtris;* ac benigniſſimus misericordiſſimusque Salvator noſter ineffabili pietate ſtatim poſt formulam orationis eandem iterum apponit, artificioque perinde amabili, quam admirabili obſtringit omnes nos, mutuas offenſas condonare, ea certa ſpe, si dimiſerimus peccata in nos commiſſa ab aliis, clementiſſimum Patrem noſtrum cœleſtem et nobis dimittere delicta noſtra. Quod non contentus hic bis conſequenter repetiiſſe; id iterum alibi apud eundem Evangeliſtam et perinde apud alios nobis itentidem in memoriam verbis et exemplis variis inductis revocatur, uti conſtanter etiam a viris

apostolicis et SS. Patribus. Sic S. Polycarpus S. Joannis discipulus in Epist. ad Philippenses, „si ergo, inquit *a*), deprecamur Dominum, ut nobis dimittat, debemus et nos dimittere. Nam coram Domini ac Dei oculis ſumus, et omnes nos oportet ſtare ante tribunal Christi, et unumquemque pro se rationem reddere." Nemo frequentius diſſertiusque hoc inculcat S. Cypriano M. in libro de orat. Dominica ad hanc petitionem, „adiunxit plane, ait, et addidit legem, certa nos conditione et ſponsione constringens, ut ſic nobis dimitti debita postulemus, ſecundum quod et ipsi debitoribus nostris dimittimus: ſcientes impetrari non posse, quod pro peccatis petimus, nisi et ipsi circa debitores nostros paria fecerimus." Sic ille deinceps adhuc testimoniis et exemplis evangelicis confirmat rem. Sæculo IV. vero S. Jacobus Nisibenus Serm. de oratione *b*). „Orant quidem aliqui, inquit, oratione quam docuit Dominus noster: *Dimitte nobis debita nostra, ſicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* O qui ſic oras, memento, quando hostiam offers in conspectu Dei; vide, ne erubescat, qui offert orationem tuam, veluti ſacrificium coinquinatum. Tu oras Deum, ut dimittat tibi, et profiteris, quod et tu

a) *Num.* 6. *Rom. VI.* 12 14.
b) *Bibl. PP. T. V. p. XXX.*

Caput XLVII. dimittis. Cogita primum in mente tua; an dimittas, ne inveniaris mendax coram Deo, dum dicis, dimitto, non dimittens: non eſt Deus ut homo, qualis es tu, ut mentiaris ei." S. Joan. Chryſoſtomus id imprimis agit in h. l. ut divinam erga nos Dei clementiam et pietatem ob oculos ponat, quam nobis ipſis hac noſtra ſponſione exhibet. „Nam, inquit *a*), cum poſſet ſine hac poſita conditione omnia tibi peccata condonare; vult tamen te inde etiam beneficium accipere, mille tibi undique manſuetudinis et humanitatis occaſiones miniſtrans, et quod in te belluinum eſt eliminans, iram extinguens, et undique te membro tuo conglutinans. Quid ergo dicere poſſis, an te mali quidpiam a proximo iniuſte paſſum eſſe? Hæc quippe ſunt peccata; nam ſi iuſte, peccatum nullum eſt. At tu talium vere peccatorum veniam impetraturus accedis, imo et multo maiorum: et ante veniam, non minimam conſecutus es gratiam, edoctus te humanam habere animam, et ad omnem manſuetudinem inſtitutus. Poſt hæc vero, magna etiam tibi merces illic recondita erit, quod nullæ a te peccatorum rationes poſtulentur. Quo igitur digni ſupplicio erimus, ſi tali accepta poteſtate, ſalutem noſtram prodamus? Quomodo autem in aliis nos

a) *Hom. XIX. n. 6. T. VII. p.* 253.

exaudiri rogamus, cum nolimus, dum penes nos est, nobis ipsis parcere?" Nemo vero fortius S. Augustino pacti ac conditionis obligationem ſtringit, qua tenemur ex hac mutuæ conditionis lege, ſerm. CXIV. de verbis Luc. XVII.: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe illum etc.;* primum quidem paucis his: „Volo ergo, iniquit *a*), te ignoscentem, quia teneo veniam postulantem. Rogaris, ignosce: rogaris, et rogabis: rogaris, ignosce; tu rogabis, ut ignoscatur tibi." Et paulo post: „*Dimitte*, inquit, *nobis debita nostra.* Quo iure? quo pacto? quo placito? quo chirographo recitato? *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Parum est, quod non dimittis: adhuc et Deo mentiris. Conditio posita est, fixa est lex: Dimitte, ſicut dimitto. Ergo non dimittit, nisi dimittas: Dimitte, ſicut dimitto. Petenti vis ut dimittatur tibi, petenti dimitte. Preces istas iurisperitus cœli dictavit: non te fallit, ſecundum cœlestem eius vocem posce: dic, *dimitte nobis, ſicut et nos dimittimus:* et fac quod dicis. Qui mentitur in precibus, beneficio caret: qui mentitur in precibus, et perdit causam, et invenit pœnam etc." Nihil est, quod nos adeo confundit coram Deo in ipsa oratione nostra ad Deum, si quod orando promittimus, attente animo revolvamus: ſiqui-

a) *T. V. p.* 574.

CAPUT XLVII. dem cum eodem S. Augustino ſermon. CLXXXI. de verbis epiſt. I. Joannis „Humiles et devoti dicamus quotidie *dimitte nobis debita nostra:* ſed si faciamus, quod ſequitur: *ſicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Sponsio hæc cum Deo, vera ſponsio, et fixa conditio est." Quis nobis ad hæc debet esse animus, si in memoriam revocamus, quid quotidie in oratione Deum rogamus, et quales nos erga proximum exhibemus, iniuriarum memores, minas ſpirantes, vindictam cogitantes, malum pro malo reddentes?

CAPUT XLVIII.

JEJUNIUM CUM GAUDIO.

Cum autem ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes: exterminant enim facies ſuas, ut appareant hominibus ieiunantes. *Amen dico vobis, quia receperunt mercedem ſuam. Tu autem, cum ieiunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava*, ne videaris hominibus ieiunans, ſed Patri tuo, qui est in abscondito: et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Matth. VI. 16.

Satis quidem se ipsam explicat Christi doctrina de ſimulata triſtitia hypocritarum in facie ad ſeveritatem ſpeciemque ſanctitatis composita ad vanam aucupandam exiſtimationem ac gloriam; quam hic perinde ac ſupra de eleemosyna et oratione damnat. Cæterum ieiunium, „principalis hæc, ut Tertulliano dicitur *a*), ſpecies in caſtigatione victus, " et pœnitentiæ genus ſicut cæteræ corporis caſtigationes per se triſtitiæ quoddam ſimulacrum est; utque idem loquitur *b*), „ſemper inedia mœroris ſequela est, ſicut lætitia acceſſio ſaginæ; " nihilo- In ſpe mercedis æternæ.

a) *De ieiunio c.* 9. *p.* 548. *b*) *Ib. c.* 7. *p.* 547.

CAPUT XLVIII. minus vero Christus cauſam ſubindicat, quamobrem etiam dum ieiunamus, læti animo eſſe poſſimus, ob mercedem nobis a Patre reddendam: quemadmodum ſupra in perſecutionibus ad gaudendum et exultandum hortatus fuerat: *Quoniam*, inquit *a)*, *merces veſtra copioſa eſt in cælis.*

Ab hac cynoſura toto cœlo aberrant, qui poſthabito unico rerum omnium fine ultimo, Deo (qui ſeipſum nobis præſtituit mercedem in æterna post hanc miſeram vitam felicitate in cœleſti gloria) gloriolam quærunt ab hominibus, ut paulo ante dehortantem Dominum audivimus: *Cum facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in ſynagogis, et in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.* Videmus hic eandem terribilem repeti ſententiam, qua mercede illa magna nimis, quam Deus ſeipſum nobis conſtituit bonorum operum noſtrorum, nos fruſtratos intelligimus cum hypocritis illis triſtibus, qui exterminant faciem ſuam ἀφανίζουσι quaſi triſti aſpectu ſic deformantes faciem, ut vultus ſpecies omnis veluti depereat, *ut appareant hominibus ieiunantes. Amen, amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam*, ac tenent ἀπέχουσι, quam ipſi in vana gloria conſtituerunt apud homines;

a) *Matth. V. 12.*

Chriſtus autem, ne appareamus hominibus ieiunantes, ſed Patri noſtro in cœlis (prout ſingulari pietate ad plenam in nobis excitandam filialem fiduciam bis hic nominat, *ſed Patri tuo, qui est in abscondito, et Pater tuus, qui est in abscondito, reddet tibi*) vult ieiunantes ungere caput, et faciem lavare: id quod ſolemne fuit apud Orientales, atque adeo apud Judæos in conviviis, aliisque lætis occasionibus, ut appareret vultus hilaris, prout in Ruth exemplum habemus iussa a ſocru ad captandam benevolentiam Booz propinqui *lavare et ungere ſe, et induere cultioribus vestimentis a*). Sic dum Judith XVI. 9. exuisset ſe veſtimento viduitatis, induiſſetque ſe *veſtimento lætitiæ in exultatione filiorum Israel, unxit faciem ſuam unguento, et colligavit cincinnos ſuos mitra, accepit ſtolam novam etc.* Ad rem etiam cumprimis eſt David regis exemplum, cum deprecaretur pro parvulo filio decumbente ad mortem *et ieiunavit David ieiunio, et ingreſſus ſeorſum iacuit ſuper terram b*); mortuo autem puero ſurrexiſſe dicitur de terra: *et lotus unctusque eſt: cumque mutaſſet veſtem, ingreſſus eſt domum Domini.* Idem David dum Pſalm. XLIV. ſpeciem, decorem, et unctionem regiam canit, *oleum lætitiæ* appellat, quo inaugurari mos eſt reges in verbis illis, quæ ad Chriſtum ſeu unctum Domini

a) *Ruth. III. 3.* *b*) *II. Reg. XII. 16.*

CAPUT XLVIII. pertinent, *propterea*, inquit *a*), *unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Ἔλαιον ἀγαλλιάσεως exultationis exaltationisque præ participibus tuis, ut habet Paulus; in comparatione nimirum terreſtris principatus, qui ceu umbra diſparet ad regiam maieſtatem adumbratam in hoc Pſalmo XLIV. quem (inſcriptum *Canticum pro dilecto* Chriſto nimirum ſponſo futuro Eccleſiæ ſuæ, quando *adducentur*, iuxta vatem, *regi virgines*, beatæ animæ *poſt eam*, reginam ſponſam, *afferentur in lætitia et exultatione in templum regis*) iam non ſemel induximus ſupra *b*) ubi de Joanne præcurſore Domini amico ſponſi, et apoſtolis filiis ſponſi, dum excuſat eos Chriſtus de ieiunio, quod non poſſint lugere filii ſponſi, quamdiu cum illis eſt ſponſus; hic autem modum ac rationem oſtendit ieiunandi cum gaudio vultuque hilari.

Nihil eſt quod divinam erga nos pietatem magis commendet, et manifeſtet in Evangelio, quam quod imprimis totam legem poſuerit in dilectione, quæ eſt propria affectio delectationis animæ noſtræ, deinde in gaudio interno animi, quæcunque nobis foris acciderint, patienter ac læte perferentis, ob ſpem mercedis æternæ, ſi non iam hic mercedem in ipſis actioni-

a) *Hebr. I. 9.* *b*) *Cap. XXVI. et XXXVI.*

bus quæramus. „Manifeſtum eſt, ſunt verba S. Auguſtini in h. l. *a*) his præceptis omnem noſtram intentionem in interiora gaudia dirigi, ne foris quærentes mercedem, huic ſæculo conformemur, et amittamus promiſſionem tanto ſolidioris atque firmioris, quanto interioris beatitudinis, qua nos elegit Deus conformes fieri imaginis filii eius.“ Eſt hoc, quod D. Petrus nos in rebus quibuscunque arduis et perverſis monet *b*): *Cariſſimi, nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quaſi novi aliquid vobis contingat: ſed communicantes Chriſti paſſionibus gaudete, ut et in revelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes.* Et D. Paulus de ſe ipſo, *repletus ſum*, inquit *c*), *conſolatione; ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.*

a) *De Serm. Dom. in monte lib. II. n.* 40. *T. III. Part. II. p.* 216.
b) *I. Petr. IV.* 12. *c*) *II. Cor. VII.* 4.

Caput XLIX.

CAPUT XLIX.

THESAURUS NOSTER, ET LUCERNA.

Theſaurizate vobis theſauros in cœlo: ubi neque ærugo, neque tinea demolitur; et ubi fures non effodiunt, nec furantur. *Ubi enim est theſaurus tuus, ibi est et cor tuum. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus ſimplex fuerit: totum corpus tuum lucidum erit etc.* Matth. VI. 20. 21.

Non in caducis.

Quid verius, quid ſublimius dici potuit? quid ad rem convenientius, quando de rebus res est, erga quas humanus affectus fertur, abripiturque? Non vult Christus, ut theſaurizemus theſauros in terris, iisque animi affigamus affectum; rebus nimirum dilabentibus ac perituris; quippe cum non poſſit esse diuturnior earum rerum uſura, quam præſentis vitæ, in qua tamen ipſa fluxa omnia ſunt innumeris periculis ac iacturis expoſita. Homo homini, ut proverbio dicitur, est lupus, ſuntque tot in humanis viæ, alienis rebus inſidiandi, ac furandi. Divitiæ, omniſque rerum terrenarum apparatus rubigini ſunt expoſita ac corroduntur, ut pereant: minimæ animal-

culorum tineæ pretioſiſſima quæque conſumtioni præparant. Stultum est illis animum affigere, cum nobis parata ſint æterna bona, ea tamen conditione, ut illa tota animi intentione consectemur, atque nobis thesaurizemus thesauros in cœlis.

Sed ſuperſnis rebus obtutu fixo.

Palam fit admirabilis, ac divina connexio horum cum iis, quæ ſequuntur, verbis: *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit etc.* Si nempe iudicium nostrum de rebus huius et futuræ vitæ ſanum fuerit, et rectus purusque affectus animi erga æterna bona, præ caducis huius vitæ rebus; ſtudia etiam nostra et facta bona erunt, et recta: *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi et cor tuum erit.* Judæi cordi tribuunt, quæ ſunt affectiones animi, ſecundum quas de rebus iudicamus, et in eas abripimur, quibusve delectamur, frui desideramus, atque earum usura felices nos esse putamus, aut ſecus: et ſic benigno aut maligno eas oculo ceu lucerna respicimus. „Lucerna corporis, ut rem explicat S. Chromatius *a*), ſensus mentis, et fides cordis intelligitur: quæ si in nobis pura et lucida fuerit, ſine dubio, omne corpus nostrum illuminat. Idcirco autem lucerna in comparatione fidei poni-

a) *Tract. XVI. in Matth. T. VIII. Bibl. PP. p.* 350.

tur, quia ſicut lucerna incedentium in nocte greſsus illuminat, ne aut in foveas, aut in offendicula quæque ambulantes incurrant: ita in hac ſæculi nocte ſplendor fidei omnes vitæ noſtræ greſsus, præeunte lumine veritatis illuminat, ne aut in foveas peccatorum, aut in offendicula diaboli incidamus." Inſigniter hoc Theophanes homilia lectu digniſsima in hæc verba *a*): *Lucerna corporis eſt oculus* duce S. Gregorio Nazianz. orat. 38. Paneg. de Nativit. D. illuſtrat exemplo primorum parentum in paradyſo ſimplicitate nudorum: „At, inquit, ubi improbi dæmonis conſilio et averſione a bono contrariæ viſionis factus eſt particeps, *tunc aperti ſunt oculi eorum*, non ut melius viderent, ſed ut intelligerent ſe eſſe nudos, et erubeſcerent. Nam quæ poſtea ſubiit mali cognitio, priorem ſimplicitatem hebetavit, quemadmodum lumen ſuccedentibus tenebris naturalem decorem amittit." Paſsim hic ſimplex oculus puritas intentionis uno verbo, nec diverſa ad priorem ſententia dicitur cum S. Auguſtino: „Ut noverimus, inquit libro II. de ſermone D. in monte *b*), omnia opera noſtra tum eſſe munda, et placere in conſpectu Dei, ſi fiant ſimplici corde, id eſt, intentione ſuperna, fine illo chari-

a) *Hom. XLII. p.* 298. *b*) *Num.* 45. *T. III. P. II. p.* 218.

tatis: quia et plenitudo legis charitas. Oculum ergo hic accipere debemus ipsam intentionem, qua facimus, quidquid facimus: quæ si munda fuerit, et recta, et illud aspiciens, quod aspiciendum est; omnia opera nostra, quæ ſecundum eam operamur, necesse est bona ſint." Ultimus finis noster, de quo modo locuti ſumus, in quem ſuapte natura necessario ferimur, unus est, quem benignissimum Numen in ſeipso ſummo bono collocare dignatur, ad quem unice intentio nostra ferri debet, atque ad eum omnia ſunt referenda, quorum nobis usura in rebus præsentibus conceditur tanquam mediis ad finem ultimum non in hac, ubi omnia caduca ſunt, ſed in æterna vita fruendum.

Caput L.

CAPUT L.

DEO SOLI SERVIENDUM.

Nemo poteſt duobus dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, et alterum diliget: aut unum ſuſtinebit, et alterum contemnet. *Non poteſtis Deo ſervire et mammonæ.* Matth. VI. 24.

Non poſſumus Deo ſervire et Mammonæ.

Conſequenter hæc ad ſuperiora dicta ſunt, ne cor ad res terrenas et tranſitorias affigatur poſtpoſitis cœleſtibus et æternis. Amplius vero hic depravatio humanæ naturæ oſtenditur, cui cupiditas dominatur, quod Chriſtus conſiſtere nequaquam poſſe dicit cum ſervitute, qua Deo obſtricti ſumus: *Nemo poteſt duobus dominis ſervire.* „Si voluerimus, ait S. Clemens P. R. *a*), et Deo ſervire, et Mammonæ, non congruit hoc nobis. Quid enim prodeſt, ſi quis totum mundum lucretur, animæ vero detrimentum patiatur? ſunt vero ſæculum hoc, et futurum duo inimici: hoc loquitur fornicationem, et corruptionem, et avaritiam, et deceptionem, illud vero iſta prohibet. Non poſſumus ergo iſtorum duorum eſſe amici: oportet vero nos ab hoc ſeparatos illo frui.“ Nempe *non poteſtis Deo ſer-*

a) *Epiſt. II. ad Cor. n. 6.*

vire et Mammonæ. „Deum quidem, ut commentatur S. Irenæus *a)*, confitens Deum, Mammonam autem nominans hoc quod eſt, Nam Mammonam dominum vocat dicens: *Non poteſtis duobus dominis ſervire;* ſed diſcipulos docet ſervientes Deo, non ſubiici Mammonæ, neque dominari ab eo. *Qui enim*, inquit, *facit peccatum*, *ſervus eſt peccati.* Quemadmodum igitur ſervientes peccato, ſervos peccati vocat, non tamen ipſum peccatum Deum appellat; ſed et eos, qui Mammonæ ſerviunt, ſervos Mammonæ appellat, non Deum appellans Mammonam!"

Satis exprimit vim ſententiæ Chriſti S. Martyr in eos, qui divitias inſtar Numinis habent, quod eſt Mammona, græcis πλȣ́τος, cui ſervire ſimul ac Deo eſt Paulo, *idolorum ſervitus b)*. Sic idem Col. III. 5. avaritiam notat, *quæ eſt ſimulacrorum ſervitus*, utroque loco vitia carnis præmittens uſu apud doctores Judaicos in more poſito, quælibet idololatriæ comparandi vitia. Sicut etiam apoſtolus notat *inimicos crucis Chriſti* Phil. III. 18. etc. *quorum finis interitus; quorum Deus venter eſt*, quos nos dicere ſolemus, ventri deditos, voluptatibus nempe quæ ex ingeſto cibo ac potu percipiuntur,

a) Lib. III. contra hæres. c. 8. n. 1. p. 182. etc.
b) Ephes. V. 5.

CAPUT L.

Sic hic Christus, ſecundum proclivitatem perverſitatemque hominum, Deo ponit quaſi ex adverſo Mammonam. „Exhorreſcamus cogitantes, ut cum S. Joann. Chryſoſtomo loquar *a*), quid Christum dicere coëgimus, ita ut cum Deo aurum poneret. Quod ſi illud horribile, longe horribilius eſt hoc reipſa fieri, et Dei timori auri tyrannidem anteferri. Quid igitur? an non apud veteres idipſum fieri potuit? Minime. Quomodo ergo Abraham, quomodo Job virtute claruere? Ne mihi divites nomines, ſed divitiis ſervientes etc.“ Et S. Auguſtinus *b*): „Sunt alii, qui opulenti ſunt, et honoribus ſecundum tempus humanis fulciuntur: et tamen nec in pecunia ſua ſpem ponunt, nec in fundis ſuis ſpem ponunt, nec in familia ſua ſpem ponunt, nec in claritate tranſitoriæ dignitatis; ſed totam ſpem ſuam ponunt in illo, cui non ſucceditur, qui mori non poteſt, qui falli et qui fallere non poteſt. Tales etſi multa videntur habere ſecundum ſæculum, bene tamen ea gubernant ad refectionem indigentium; inter pauperes Domini numerantur.“ Subdit in loco parallelo S. Lucas XVI. 14. audiſſe hæc omnia Phariſæos, *qui erant avari*, et deriſiſſe illum. *Et ait illis: Vos eſtis, qui iuſtificatis vos coram homi-*

a) *Hom. XXI. in Matth. n.* 1. *T. VII. p.* 269.
b) *In Pſal.* 93. *Tom. IV. p.* 1004.

nibus: Deus autem novit corda vestra: quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum. Juxta ſublime nimirum in Evangelio Christi, divinam Evangelii Christi Verbi incarnati œconomiam, qua a terrenis rebus abstracti ad æterna, ultimum finem, ſummumque bonum fruendum in cœlo, deducimur. Estque hoc discrimen, atque præstantia novi præ veteri Testamento, quod temporales tantum habebat promissiones, cuius limitem mox indicat Christus: *Lex et prophetæ usque ad Johannem: ex eo regnum Dei evangelizatur;*

CAPUT LI.

CURA RERUM TEMPORALIUM.

Ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis, neque corpori veſtro, quid induamini. *Nonne anima plus eſt quam eſca: et corpus plus quam veſtimentum? Reſpicite volatilia cœli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea: et Pater cœleſtis paſcit illa.* Nonne vos magis pluris eſtis illis? Quis autem veſtrum cogitans poteſt adiicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum? Et de veſtimento, quid ſolliciti eſtis? *Conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt: non laborant, neque nent.* Matth. VI. 25. etc.

Non ſit anxia Deo nobis providente.

Comparationibus iſtis et exemplis ex communi et vulgari vita, infimoque genere vegetabilium et volatilium deſumtis ad commonſtrandam divinam providentiam ſuam erga hominem ad imaginem ſuam conditum, quid pulchrius ſimulque accommodatius, quid ad anxiam curam et ſollicitudinem eorum imprimis, quibus ad maiora natis maximas ſuæ religionis curas et res commiſit, ex animis tollendam? Quales tunc erant apoſtoli, quos rebus omnibus

præſentis vitæ egentes ac expeditos miſſurus erat in universum mundum ſine argento, ſine pera, ſine baculo: revocatque dicta Matth. X. 9. Luc. IX. et X. 4. in memoriam ante paſſionem ſuam, eos relicturus, quod iam experimentum huius rei fecerat: *Quando miſi vos ſine ſacculo, et pera, et calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil a).* CAPUT LI.

Conſidera vero, quam admirabili ſimplicitate, id, quod D. Paulus I. Tim. VI. 8. dicit: *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti ſimus*, hic circumſcriptum habeatur, dum vulgariſſimus victus et veſtium apparatus, ad ictum usque, ut ita dicam, acus repræſentetur.

De nimia autem anxiaque cura et ſollicitudine hic agi tantum vel data S. Auguſtino occaſio, librum ſcribendi de opere monachorum *b*), qui omni omnino de rebus eiuscemodi ſollicitudine abiecta, ſe potius implere præceptum evangelicum exiſtimabant, comprobat. Apposite vero lib. II. de ſermone Domini in monte advertit *c*), documenta iſta non ſicut allegorias diſcutienda eſſe, poſita, ut de rebus minoribus maiora perſuaderentur. S. Chryſoſtomus

a) *Luc. XXII.* 35. *b*) *T. VI. p.* 476.
c) *T. III. P. II. p.* 220. *n.* 52.

Caput LI. aliam removet cauſationem; oſtenditque id, quod putet quis cauſam eſſe ſollicitudinis, potius idoneum eſſe ad eam abigendam. „Quodsi, inquit *a*), dicas, ideo me ſollicitum eſſe oportet, quia neceſſaria ſunt: ego contra reſpondeo, ideo ne ſollicitus ſis, quia neceſſaria ſunt. Si enim ſuperflua eſſent, neque ſic deſperandum eſſet, ſed confidendum ea tibi ſuppeditari poſſe: quia vero neceſſaria ſunt, non ultra ambigere oportet. Quis enim Pater negligat filiis ſuis neceſſaria præbere?“ Nempe Chriſtus et hic præoccupans, quid nobis ſumme neceſſarium ſit, ſubiungit: *Scit enim*, inquit, *Pater veſter, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei, et iuſtitiam eius: et hæc omnia adiicientur vobis. Nolite ergo ſolliciti eſſe in craſtinum. Craſtinus enim dies ſollicitus erit ſibi ipſi. Sufficit diei malitia ſua.* „Id eſt, commentatur apposite ad primum a nobis dicta de anxia cura et ſollicitudine S. Chryſoſtomus, miſeria atque contritio. Non ſufficit tibi in ſudore vultus tui comedere panem tuum? Cur aliam adiicis ex ſollicitudine miſeriam, qui a prioribus es liberandus laboribus.“ S. Hieronymus *b*) malitiam hic diei vult, quam græci κάκουχίαν appellant, in illud Eccleſiaſtis: *Vidi univerſa opera, quæ facta ſunt*

a) *Hom. XXII. in Matth. n.* 2. *T. VII. p.* 277.
b) *T. II. p.* 722.

ſub ſole, et ecce omnia vanitas et præsumtio ſpiritus, edoctus a magiſtro ſuo Hebræo. Quaſi nos præmonet, ne ſuperfluis angamur curis et ſollicitudine, cum pro conditione humana alias quilibet dies iam habeat malum ſeu miſeriam ſuam. Conſiderandum demum hic eſt divinum illud, quod initio ſtatim ex Longino *de Sublimi* notavimus in verbis Moyſis: *Fiat lux, et facta eſt lux.* Innuitur enim hic perinde omnia conſervantis actus ille Dei omnipotentis quam verbo ſuo univerſa creantis: *Germinet terra herbam virentem etc.* ubi recte dicitur: *Quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut unum ex iſtis.* Ut et hic locum habeat illud Matth. XII. 42.: *Et ecce, plus quam Salomon hic.*

CAPUT LII.

OFFICIA CHARITATIS PROXIMI.

Omnia quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Hæc eſt enim lex et prophetæ. Matth. VII. 12.

Quando Chriſtus Matth. XXII. 37. etc. utrumque explicat dilectionis præceptum Dei et proximi, *in his duobus*, ſubdit, *mandatis, univerſa lex pendet et prophetæ.* Quo- Diligendo tanquam ſeipſum.

CAPUT LII.

niam vero proximum non niſi in Deo, et propter Deum ſummum bonum; et unicum finem diligere debemus; Deus vero quæ uni ex minimis fiunt, tanquam ſibi facta recognoſcit, Matth. XXV. 40. 45. recte dicitur in amore proximi contineri quoque amorem Dei. Ex verbis tamen istis: *Hæc est enim lex et prophetæ*, observat S. Augustinus præceptum hoc, quod tam paucis verbis omnium officiorum complexum habet, ad dilectionem proximi pertinere, non etiam ad Dei, cum alio loco duo præcepta esse dicat, in quibus tota lex pendet et prophetæ. „Nam, pergit *a*), si dixisset, omnia quæcunque vultis fieri vobis, hæc et vos facite: hac una ſententia utrumque illud præceptum complexus esset: cito enim diceretur, diligi se velle unumquemque et a Deo, et ab hominibus: itaque cum hoc ei præciperetur, ut quod ſibi fieri vellet, hoc faceret; id utique præciperetur, ut diligeret Deum et homines. Cum vero expressius de hominibus dictum est, *omnia ergo quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, ita et vos facite illis*: nihil aliud dictum videtur, quam diliges proximum tuum tanquam teipsum. Sed non negligenter adtendendum quod hic ſubiecit, *hæc est enim lex et prophetæ.* In his autem duobus præceptis, non tantum ait, lex pendet et

a) *De Serm. D. in monte lib. II. n. 75. T. III. P. II. p.* 231.

prophetæ: ſed etiam addidit, *tota lex et prophetæ;* pro eo quod eſt tota prophetia: quod cum hic non addidit, ſervavit locum alteri præcepto, quod ad dilectionem Dei pertinet."

Ipſa quidem æquitatis ratio, ſi ſana eſſet in homine et incorrupta, dictare debuerat axioma hoc; cuius etiam veſtigia quædam apud philoſophos reperiuntur; ſed ſicut ſecundum apoſtolum, ſi peccatum non eſſet, lex non eſſet, ita per legem iterum et prophetas eius rei memoriam refricari oportuit. Diſertis verbis in veteri teſtamento habetur: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias a).* Sed hic eſt præceptum negativum ad avertenda potius mala, quam bona invicem ex mutua charitate præſtanda, uti etiam Grotius in h. l. ex Iſocrate ſententiam notavit hanc: *Quæ ſi vobis fierent, iraſcimini, ea aliis ne facite:* Fertur porro axioma hoc Severus Imp. in ore habuiſſe ſic edoctus a Chriſtianis vel Judæis: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Sed non eſt hæc lex et prophetæ, ſeu lex perfecta diligendi proximum ſicut ſeipſum, prout hoc præcepto affirmativo nobis iniungitur: *Omnia quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, et hoc facite illis;* quam ſola nobis divina ſapientia lux in tenebris lucens afferre potuit ad

a) *Tob. IV.* 16.

CAPUT LII. expellendam in animis nostris cupiditatem, matrem perverſi illius amoris proprii, contrariam legi charitatis, diligendi proximum ſicut ſeipsum, atque eidem omnia illa faciendi quæcunque volumus, ut faciant nobis homines; poſterius amor proprius cupit, primum autem charitas facit. „Huius ſententiæ partem, ſunt verba Salviani Maſſilienſis *a*), tam bene novimus, ut nunquam prætereamus: partem ſic prætermittimus, quaſi penitus neſciamus. Nam, quid ab aliis præſtari nobis velimus, optime novimus: quid autem ipſi aliis debeamus præſtare, neſcimus. Atque utinam etiam neſciremus: minor eſſet ignorantiæ reatus ſecundum illud: *Qui neſcit voluntatem Domini ſui, vapulabit paucis. Qui autem ſcit, et non facit eam, vapulabit multis.* Nunc autem in hoc maior offenſa eſt, quod partem ſententiæ ſacræ pro commodorum noſtrorum utilitate diligimus, partem pro Dei iniuria præterimus.“

a) *Lib. III. de Gubernatione Dei p.* 90.

CAPUT LIII.

ANGUSTA ET LATA VIA ET PORTA.

Intrate per anguſtam portam : quia lata porta, et ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, et multi ſunt, qui intrant per eam. Quam angusta porta, et arcta via est, quæ ducit ad vitam : et pauci ſunt, qui inveniunt eam ! Matth. VII. 13. 14.

Paucitas electorum.

Lucæ XIII. 22. etc. legitur, cum Chriſtus *per civitates et caſtella iret docens, et iter faciens*, quemdam interrogaſſe illum dicendo: *Domine, ſi pauci ſunt, qui ſalvantur? Ipſe autem dixit ad illos: Contendite intrare per anguſtam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, et non poterunt. Cum autem intraverit paterfamilias, et clauſerit oſtium, incipietis foris ſtare, et pulſare oſtium dicentes: Domine, aperi nobis: et reſpondens dicet vobis: Neſcio vos unde ſitis. Tunc incipietis dicere: Manducavimus coram te, et bibimus, et in plateis noſtris docuiſti. Et dicet vobis*: *Neſcio vos unde ſitis: diſcedite a me omnes operarii iniquitatis. Ibi erit fletus et ſtridor dentium.* Manifeſtum eſt, hæc Judæos perſtringere dicta.

CAPUT LIII.

Arcta Judæis non ſapiebat, nec eorum exſpectationi congruebat, via, quam eis præſertim in ſermone hoc in monte, atque reliqua doctrina, ipſaque conditione ſua paupere et abiecta monſtrabat in hoc mundo, præſentique vita, ubi illi a Meſſia inſtruendum præſtolabantur regnum terrenum, detrectantes, quod eis prædicabat Chriſtus *Evangelium regni*, non huius mundi, ſed per contemtum huius mundi, æterni in cœlis, de quo *cum videritis*, pergit, *Abraham, et Iſaac, et Jacob, et omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras. Et venient ab Oriente, et Occidente, et Aquilone, et Auſtro, et accumbent in regno Dei. Et ecce ſunt noviſſimi, qui erunt primi, et ſunt primi, qui erunt noviſſimi.*

Quæ verba etiam Matth. XIX. 30. ac Marc. X. 31. leguntur de illis, qui anguſtam portam hanc propius attingere relicto mundo cenſendi ſunt, cum ſua omnia propter Chriſtum et Evangelium reliquerint, et *multo plura* Luc. XVIII. 30. aut *centies tantum* Marc. X. 30. recipiunt *in hoc tempore*, ne præſentis vitæ bonis abutantur. Terribile eſt, quod apud Matthæum et Marcum additur epiphonema: *Multi autem erunt primi noviſſimi, et noviſſimi primi*, de illis, qui relictis omnibus ſecuti ſunt Chriſtum. Caveant itaque hi tales, ne penſitare apud

se negligant: *Quam angusta porta, et arcta via est, quæ ducit ad vitam.*

Caput LIII.

Quæ apud Matthæum verba ad epilogum pertinent prolixioris inter ſermones Christi, concionis in monte, quæ perfectionis christianæ non tam compendium est, quam absolutissimum complementum et culmen per tot ac tam ſublimia doctrinæ capita carni et mundo paradoxa ob tot difficultates, quibus obsepta est, et molestias. Hanc igitur, quam in ſuperiore concione ostenderat, iam in conclusione hortatur intrare angustam portam, et viam arctam apud Lucam, *contendite*, inquit, *intrare*, quod proprie pugnantium est, atque conatus omnes et ſtudia flagitat per asperam et duram in imitatione Christi crucis viam, quam discipulis ſuis ostendit, hique impigre ſunt consectati, eum ſecuti per mortem ad vitam, per passionem ad gloriam. „Arcta, inquit S. Cyprianus *a*), et angusta est via, quæ ducit ad vitam: durus et arduus limes, qui tendit ad gloriam. Per hunc viæ limitem martyres pergunt, eunt virgines, et iusti quique gradiuntur. Lata et ſpatiosa itinera vitate: lethales illic illecebræ, et mortiferæ voluptates: illic diabolus blanditur, ut fallat; arridet, ut noceat; illicit, ut

Difficilis Evangelii via.

a) *De habitu virginum circa finem p.* 73.

Caput LIII. occidat." Quemadmodum hic S. Cyprianus latam, quæ ducit ad interitum, viam ab illecebris et voluptatibus carnis nobis deſcribit, ita a facultatibus mundi graphice depingit S. Gaudentius Brixienſis præ oculis illud effatum Chriſti habens, *facilius eſſe camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in regnum cælorum.* „Quoniam vero, inquit *a*), *arcta et anguſta via eſt, quæ ducit ad vitam*, oneratos divitiarum terreſtrium faſcibus ingredi per illam non capit. Expeditos quærit, ac tenues, omnique continentia caſtigatos, et (ut ita dixerim) filo gracili ſimiles, qui etiam per foramen illius myſticæ acus facile tranſeant, ſpiritales effecti." Omnia complexus eſt S. Maximus Taurinenſis *b*) Sermone *de eo, quod ſcriptum eſt: Intrate per anguſtam portam.* „Anguſtum eſt, inquit, fratres, quidquid acquiri neceſſe eſt per laborem. Anguſta noſtræ religionis eſt via, quam gradientibus nobis ſpinæ huius mundi, ſenteſque concludunt. Sed anguſtiæ iſtæ amplitudinem paradyſi, immenſaque ſpatia regni cœleſtis aperiunt. Spatioſaque luxuriæ via, et anguſtum eſt iter caſtitatis. Lata deliciarum ſæcularium porta eſt, ſed anguſto nimis fine concluditur. Ieiuniorum autem vel continentiæ arcta quidem via, ſed ampliſſimis egreſſibus dilatatur etc."

a) *Serm. XVIII. p.* 180. *b*) *Cod. bibl. Ambr. C.* 97.

S. Jo. Chryſoſtomus ad hanc, utut anguſtam viam capeſſendam, portamque arctam ingrediendam nobis animum addit non ſolum ex felici termino, ut S. Maximus, ſed etiam facilem nobis ipſam viam (vel eo ipſo, quia via est et porta) oſtendit ex verbis Chriſti: *Jugum meum ſuave est, et onus meum leve.* „Quomodo autem, quærit, hic arctam illam anguſtamque dicit eſſe! Certe ſi attenderis, hic etiam declarat illam admodum eſſe levem, et facilem. Et quomodo, inquies, illa, quæ arcta eſt et anguſta, facilis erit? Quia via eſt, et porta, ſicut etiam illa alia, etſi lata et ſpatioſa, via eſt et ipſa. In his autem nihil manet, ſed tranſeunt omnia ad hanc vitam pertinentia, ſive triſtia, ſive proſpera. Nec ideo tantum facilis eſt virtus; ſed a fine etiam facilior redditur. Id conſolationem decertantibus parere debet. Itaque et brevitas laborum et æternitas coronari, et quod hæc ſint priora, illa vero poſteriora; hæc certe omnia maximam in laboribus afferunt conſolationem. Quapropter Paulus levem tribulationem vocavit, non ob naturam accidentium rerum, ſed ob promtam voluntatem decertantium et ſpem futurorum.“ Proſpero Carm. XIX. anguſta via dilatato corde curritur: quia iter virtutum, quo gradiuntur pauperes Chriſti, amplum

eſt fidelium ſpei, etiamsi arctum ſit infidelium vanitati *a*):

Arcta via eſt, veræ quæ ducit ad atria vitæ,
Nec recipit carnis gaudia mentis iter.
Amplis incedit ſpatiis terrena voluptas;
Anguſto virtus limite celſa petit.
Et tamen hi calles, quos mundi vana paveſcunt
Quædam magnificis æquora ſunt animis.
Difficiliſque nimis per dura per ardua greſſus
Commendant fidei, quod tolerare iuvat.

CAPUT LIV.

EPILOGUS SERMONIS CHRISTI IN MONTE.

Omnis ergo, qui audivit verba mea hæc, et facit ea, *assimilabitur viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſupra petram.* Matth. VII. 24. etc.

Gratia Evangelii unica firma et tuta petra.

Eſt hic finis et peroratio ſermonis Chriſti in monte, in quem, cum videret turbas, aſcendit, velut olim Moyſes, daturus Evangelii legem accedentibus ad eum diſcipulis, ut Matthæus habet, elevatis oculis, ut apud Lucam legitur, in diſcipulos ſuos, quos ad prædicandum Evangelium in univerſum or-

a) *Lib. Epigram. p.* 364.

bem erat miſſurus, relicta incredula gente Judaica, atque antiquata lege veteri ceu imperfecta ac inerti ſine Evangelii gratia. Atqui hoc eſt, quod hic Chriſtus omnem illum, *qui audivit*, ait, *verba mea hæc, et facit ea*, aſſimilat viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſupra petram, Chriſtum nimirum, *ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum, et honorificatum: et ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini, domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Jeſum Chriſtum. Propter quod continet Scriptura: Ecce pono in Sion lapidem ſummum angularem, electum, pretioſum: et qui crediderit in eum, non confundetur a)*. Hic eſt nempe lapis ille factus in caput anguli, quem reprobaverunt ædificantes, *Chriſtum crucifixum Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam b)*, ſibi ſuffenis ſapientibus huius ſæculi, qui ſapientia huius mundi, quæ eſt ſtultitia apud Deum ſuperbiebant: qui perinde ac Judæi ſuis operibus ſuiſque propriis viribus innitebantur, et confidebant, ſimiles *viro ſtulto*, ut hic apud Matthæum ſequitur v. 26. *qui ædificavit domum ſuam ſuper arenam: et deſcendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et fuit ruina illius magna:* dum econtra hæc omnia nihil prævalere

CAPUT LIV.

a) *I. Petr. II.* 4. *etc.* b) *I. Cor. I.* 23.

CAPUT LIV. potuerunt contra domum ſupra petram fundatam, gratia nimirum Evangelii Christi: de qua apostolus Colossensibus II. 5. etc. gratulatus *gaudens*, *et videns*, ait, *ordinem veſtrum et firmamentum eius, quæ in Chriſto est, fidei veſtræ. Sicut ergo accepiſtis Jesum Chriſtum Dominum, in ipso ambulate, radicati et ſuperædificati in ipso, et confirmati fide, ſicut et didiciſtis, abundantes in illo in gratiarum actione. Videte, ne quis vos decipiat per inanem philoſophiam, et inanem fallaciam, ſecundum traditiones hominum, ſecundum elementa mundi, et non ſecundum Christum: quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, et eſtis in illo repleti etc.* Judæos perinde ac Græcos hic perſtringit, quicunque de ſuis propriis operibus ſeu ſapientia præsumebant, gratiam Christi ignorantes aut repudiantes. *Quare?* idem quærit apostolus *a*), *Quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus: offenderunt enim in lapidem offenſionis, ſicut ſcriptum est: Ecce pono in Sion lapidem etc.* ut modo eundem locum Isaiæ XXVIII. 16. allatum a D. Petro audivimus, qui, *Vobis igitur*, ſubdit, *honor credentibus: non credentibus autem, lapis, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, et lapis offenſionis et petra ſcandali his, qui offendunt verbo, nec credunt in quo et poſiti ſunt.* Nempe *ſuperædificati ſuper fundamentum apostolorum et prophetarum*, qui

a) *Rom. IX.* 32.

Evangelium Christi prænunciarunt, *ipſo ſummo lapide angulari Christo Jesu*, a quo et Petrus a petra dicitur: *Et ſuper hanc petram*, inquit, *ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Aſſimilatur igitur viro ſapienti, qui ædificat domum ſuam ſuper hanc petram, econtra vero ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificat domum ſuper arenam extra hanc petram: *Venerunt flumina etc.* Caput LV.

CAPUT LV.

LEPROSUS MUNDATUS.

Cum autem descendisset de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ: et ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens Jesus manum, tetigit eum, dicens: *Volo. Mundare. Et confestim mundata est lepra eius.* Matth. VIII. 1. 2. 3.

„Extendente manum Domino, commentatur in hunc locum S. Hieronymus *a*), ſtatim lepra fugit;" ſimulque conſidera quam humilis, et ſine iactantia reſponſio, ille di- Solo iussu.

a) *T. IV. p.* 26.

CAPUT LV.

xerat, *ſi vis. Dominus* respondit: *Volo;* ille præmiſerat: *Potes me mundare.* Dominus iungit, et dicit: *Mundare.* Non ergo, ut plerique latinorum putant, iungendum eſt, et legendum, ſed ſeperatim, ut primum dicat: *Volo;* deinde imperans dicat: *Mundare.*" Facit huc, quod eodem Matth. VIII. 24. narratur, dum dormiente Chriſto *Ecce motus magnus factus eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus . . . Tunc ſurgens imperavit ventis, et mari, et facta eſt tranquillitas magna. Porro homines mirati ſunt dicentes: Qualis eſt hic, quia venti et mare obediunt ei.* Non poterant quippe non divinum quidpiam hic agnoſcere. Idem nempe Verbum divinum, ut in creatione mundi, ſuam omnipotentiam hic oſtendit: *Quoniam ipſe dixit et facta ſunt, ipſe mandavit et creata ſunt. Statuit ea in æternum et in ſæculum ſæculi: præceptum poſuit, et non præteribit a*). Quæ de immutabili illo cœleſtium corporum ſolis, lunæ ac ſtellarum curſu dicit pſaltes, poſtquam ea, inanima quidem, ad celebrandum divinum numen provocaverat. Habemus nihilominus iam in veteri teſtamento exemplum, quo confunditur ſectatorum hodiernorum perfidi Spinozæ Judæi ſtultitia *b*), effutientis, mutabilem fore Deum, ſi miracula patraret; ſiquidem lèges naturæ nil aliud ſint, quam Dei voluntas, quæ in ver-

a) *Pſalm. CXLVIII.* *b*) *Tract. theol. polit. c. 6.*

teretur, ſi leges naturæ inverterentur. Id quod maxime locum haberet in eo, quod tum Spinoza cum alii fingunt ad eludendum illud ſtupendum miraculum, quod Joſue X. 12. legitur: *Locutus*, ſcilicet, *Joſue Domino in die, quo tradidit Amorrhæum in conſpectu filiorum Iſrael, dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne movearis, et luna contra vallem Aialon. Steteruntque ſol et luna, donec ulciſceretur ſe gens de inimicis ſuis.* Diabolica impudentia eſt homuncionum, Deo auctori naturæ veluti legem ſtatuere, limites ponere atque terminos omnipotentiæ ſuæ; et quidem eorum, quos ſua revelatione dignatus eſt Deus; quandoquidem primo ſtatim huius tractationis capite vidimus Dion. Longinum mirabundum ſtupere τὸ ὕψος ſublime illud in verbis Gen. I. 3. *Fiat lux. Et facta eſt lux*, operante Deo ſpiritu oris ſui, Verbi nimirum divini, quod *erat in principio*; atque in tempore *caro factum* eadem virtute, qua *omnia per ipſum facta ſunt*, ſola voce *Fiat*, uno iuſſu *Volo*, *mundare* leproſum ſanavit *a*), veluti etiam abſens centurionis puerum, dum, *Vade*, inquit, *et ſicut credidiſti, fiat tibi:* mox ingreſſus domum Petri ſocrus febricitantis manum tangens ſanavit, nec verbum dicens: *Veſpere autem facto*, pergit evangeliſta, *obtulerunt ei multos dæmonia habentes: et eiiciebat ſpiritus verbo.* Sic

a) *Matth. VIII.* 13.

CAPUT LV. curavit mutum et ſurdum verbo: *Ephphetha, quod est adaperire a)*; cæco roganti: *Domine, ut videam*, Jesus *Reſpice*, ait, *et confeſtim vidit b)*. Sic ad vitam revocavit puellam mortuam dicens: *Talitha cumi*, *quod est interpretatum: Puella (tibi dico) ſurge c)*; perinde ac ad adoleſcentem mortuum: *Adoleſcens, tibi dico: ſurge d)*; ad Lazarum vero iam quatriduo mortuum, ac ſepultum voce magna clamans: *Lazare, veni foras e)*, eadem qua ſeipſum reſuſcitavit occiſum virtute, reſuſcitaturus aliquando univerſam carnem, quod prædicit Joann. V. 25. etc. *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, et nunc eſt, quando mortui audient vocem Filii Dei: et qui audierint, vivent. Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo: ſic dedit et Filio habere vitam in ſemetipſo: et poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis eſt. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei: et procedent, qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in reſurrectionem iudicii.*

a) *Marc. VII.* 34. b) *Luc. XVIII.* 42. c) *Marc. V.* 41. d) *Luc. VII.* 14. e) *Joan. XI.* 43.

CAPUT LVI.

TESTIMONIUM CHRISTI JOANNI RENUNCIATUM.

Joannes baptista misit nos ad te dicens: Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus? In ipsa autem hora multos curavit a languoribus, et plagis, et ſpiritibus malis, et cæcis multis donavit visum. Et respondens, dixit illis: Euntes renuntiate Joanni, quæ audistis, et vidistis: Quia *cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, ſurdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur: Et beatus est, quicunque non fuerit ſcandalizatus in me.* Luc. VII. 20. etc.

Judæi increduli miraculis Christi.

Narratur Jo. X. 41. multos venisse ad Jesum et dixisse: *Quia Joannes quidem ſignum fecit nullum, omnia autem, quæcunque dixit Joannes de hoc, vera ſunt. Et multi crediderunt in eum*, propter testimonium nimirum etiam Joannis, cui Judæi plus deferebant, quam miraculis Christi. Referuntur mox dicta ab evangelista, factaque, dum Christus *abiit iterum trans Jordanem, in eum locum, ubi erat Joannes baptizans primum: et mansit illic.* Accidit hoc postquam Judæi lapidare vole-

CAPUT LVI. bant Chriſtum, eoquod ſe filium Dei eſſet profeſſus, admodum ſollicitatus ab ipſis, dum, poſt cæcum natum Jo. IX. illuminatum, ad feſtum encæniorum ambularet in templo in porticu Salomonis Jo. X. 22. *Circumdederunt ergo eum Judæi, et dicebant ei: Quousque animam noſtram tollis? Si tu es Chriſtus, dic nobis palam. Reſpondit eis Jeſus: Loquor vobis, et non creditis: opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me.*

In conſpectu Judæorum patrata ſunt ea miracula per totam Judæam, quam *pertranſiit*, ut teſtis oculatiſſimus S. Petrus de eo teſtatus eſt poſt ipſius mortem Judæis, *benefaciendo, et ſanando omnes oppreſſos a diabolo a*). Sed ipſi ad hæc omnia cæci erant, quia in Chriſto eam non reperiebant, quam in Meſſia deſiderabant, ſæcularem pompam, regiamque potentiam ad ablatum a Romanis ſceptrum Judæ reſtituendum, regnumque Iſrael per orbem inſtaurandum. At Chriſtus Joanni denunciari voluit, quia *pauperes evangelizantur*. Non principes ſacerdotum et ſeniores illos populi, qui dum ſciſcitanti quidem Herodi recte reſponderunt, Chriſtum naſciturum in Bethlehem Juda *b*), perverſe autem acceperunt Michæam, quem citant prophetam: *Et tu*

a) *Act. X. 38.* b) *Matth. II. 5.*

Bethlehem Juda, nequaquam minima es in principibus Juda, ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel. Non, ut illi elati, ſic apostoli piscatores hæc accipiebant pauperes, qui vocati a Christo continuo relictis retibus ſecuti ſunt Christum: turbæ item quæ ſequebantur discursantem pauperem, qui non habebat, ubi caput reclinaret. Erant hi, de quibus mox Christus, et *beatus est, qui non fuerit ſcandalizatus in me.* At vero ſcandalizati fuerunt Judæi in Christo, humilem eius dedignati conditionem inflati ſpe regni, frustraque ad hunc usque diem regem ſuum Messiam exspectant, quem eorum patres respuerunt. Hoc nempe fuit regnum, hoc munus Messiæ divinissimum ſublimissimumque, quod ſtatim post susceptum officium ſuum in ſynagoga Nazareth, ubi erat nutritus, revoluto libro Isaiæ, eius verbis denunciat: *Spiritus Domini ſuper me: propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, ſanare contritos corde, prædicare captivis remiſſionem, et cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, et diem retributionis. . . . . quia hodie impleta est hæc ſcriptura in auribus vestris a).*

Videri volunt hodierni increduli inde excusationem pretendere potiorem, quam

a) *Luc. IV.* 18.

Caput LVI.

Judæi, ad miracula Christi, quæ viderant coram illi obcæcati; dum nostri, id est inter christianos infideles, credere detrectant, quæ non viderunt ſuis oculis, quod legimus a Christo, ut infra videbimus apostolo Thomæ exprobratum, cum epiphonemate: *Beati, qui non viderunt, et crediderunt.* Jam notavimus ex S. Augustino, maximo fuisse deputandum miraculo, si mundus ſine miraculis credidisset, ad fidem conversus ab apostolis rudibus et imperitis, non armis, ut Mahumedanismus, non potentia ſæculari, ut (nisi forte clam ſerperent) hæretici, qui ætatem tulerunt.

CAPUT LVII.

Caput LVII.

REGNUM CŒLORUM VIM PATITUR.

Amen dico vobis, non ſurrexit maior inter natos mulierum Joanne baptiſta: qui autem minor eſt in regno cœlorum, maior eſt illo. *A diebus autem Joannis baptiſtæ usque nunc regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Omnes enim prophetæ et lex, uſque ad Joannem prophetaverunt: et ſi vultis recipere, ipſe eſt Elias, qui venturus eſt. Qui habet aures audiendi, audiat. Matth. XI. 11.

Verba *Amen dico vobis* initio, et in fine, *Qui habet aures audiendi, audiat*, magnum aliquid et ſublime hoc Chriſti ſermone portendi, indicant: uti revera complectitur œconomiam veteris et novi teſtamenti, cuius utriusque limes dicitur S. Joannes Baptiſta, „ad quem, ſunt verba Tertulliani *a*), deſineret Judaiſmus, et a quo inciperet Chriſtianiſmus." Id S. Auguſtinus confirmat Serm. VII. *de S. Joan. bapt. b*) „Nam eum

Regnum Christi in terris.

a) *Adverſ. Marcion. Lib. IV. c.* 33. *p.* 449.
b) *Serm. CCXCIII. n.* 2. *T. V. p.* 1176.

CAPUT LVII. esse, ut dixi, quodammodo limitem Dominus ipse testatur dicens: *Lex et prophetæ usque ad Joannem baptistam.* Sustinet ergo personam vetustatis, et præconium novitatis; propter personam vetustatis, de ſenibus nascitur: propter personam novitatis, in visceribus matris propheta declaratur." Hoc igitur respectu attestante ipso Christo, *non ſurrexit maior inter natos mulierum Joanne baptista: qui autem minor est in regno cælorum, maior est illo.* Regnum cœlorum regnum est Messiæ præsentis vitæ et æternæ in Ecclesia Christi, et æterna patria. Regnum hoc præcursor Domini in ſpiritu et virtute Eliæ denuntiavit primus S. Joannes clamans in deserto *et dicens: Pænitentiam agite, appropinquavit regnum Dei.* „Consequenter, ſunt verba S. Hieronymi in cap. XI. Matthæi *a*), *a diebus illius regnum cælorum vim patitur, et violenti diripiunt illud.* Grandis enim est violentia, in terra nos esse generatos, et cœlorum ſedem quærere: possidere per virtutem, quod non tenuimus per naturam. Cessarunt tunc umbræ, et figuræ venturi Messiæ, quem omnes prophetæ et lex usque ad Joannem prophetaverunt." Cessavit respublica et regnum terrenum Judaicum, dum Joannes cœpit prænunciare regnum cœlorum. *Pænitentiam*, inquit, *agite:* quam ille tam austera vita in deserto

a) *T. IV. p.* 43.

præſignavit; Chriſtus vero paſſione et morte ſua nobis regnum cœlorum acquirens viam crucis demonſtravit; regnum Dei intra nos ſolidavit, regnum diaboli deſtruxit: regnum ſuum, theocratiam a Judaica ad gentes cæteras tranſtulit, ex terreno in cœleste commutatum: ceſſit ſynagoga Eccleſiæ, hæcque illius primogenita præripuit. „Si repetamus [commentatur S. Ambroſius in illud: *cogentes rapiunt illud a)*] dominicum illud, quod ſcriptum eſt, dicente filio Dei: *Regnum Dei intra vos eſt*; advertimus in nobis regnum cœleſte ſolidari, cum Chriſtus exploſo mundani principis regno, fugatisque deliciis ſæcularibus, intra noſtrorum ſecreta regnat animorum. Vis igitur menti adfertur humanæ, quæ diverſis illècebris delinita laborem fugit, voluptatem expetit; cum vel metu ſupplicii coërcita, vel præmio provocata, vincere ipsa ſe nititur: et tanquam exantlatis laboribus, palmam, quæ ſibi plurimis adverſantibus, ſubtrahebatur, contendit eripere. Rapimus enim ex hoc mundo palmam ſalutis, et quaſi excubantibus obſeſſos ſerpentibus fructus pervigili labore decerpimus, ita tamen ut non furtiva ſublatio, ſed direptio ſit triumphalis. Eſt et aliud direptionis genus, quando aliis ſublata diripimus. Qui

a) *In Luc. T. I. p. 1382.*

CAPUT LVII. ſunt igitur raptores illi, non laboramus intelligere, cum de Beniamin lupi rapacis genere nos manare noverimus. Præcesserat Joannes, ut iuſtificaret populum Judæorum: ipſe Dominus venerat ad oves perditas, domus Iſrael: apoſtolos deſtinaverat, ut fidem populi Judæorum vel diſputatione, vel ſignis, miraculisque fundarent: ſed cum illi munera ſibi oblata deſugerent, publicani et peccatores in Deum credere, in fidem coire cœperunt. In his igitur apoſtolica prædicatione regnum cœlorum cogitur, et fidelis populi adſpiratione ſolidatur.“ Aliter nobis violentiam S. Paulinus ſuadet: „Eſto, ait *a*), violentus Deo, rape regnum cœlorum. Qui vetat aliena contingi, ſua gaudet invadi: qui damnat avaritiæ rapacitatem, laudat fidei rapinam.“

Rapina fidei maxima fuit primis Eccleſiæ preſſæ ſæculis, temporibus perſecutionum: quæ tamen nunquam etiam deinceps defuerunt, nec deerunt in regno Chriſti Eccleſia, dicente Chriſto Joan. XV. 20. *Si me perſecuti ſunt, et vos perſequentur.* Et apoſtolo II. Tim. III. 12. *omnes, qui pie volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur.* Sic igitur continuæ foris et intus ſunt pugnæ, *regnum Chriſti usque nunc vim patitur, et violenti rapiunt illud: a diebus Joannis*, inquit,

a) *Epiſt.* 34.

qui vitæ auſteritate ipſe ſibi vim maximam intulit, et perpeſſus eſt violentam etiam mortem: ac ipſe imprimis Chriſtus *usque ad mortem, mortem autem crucis*, quem *hæc oportuit pati, et ita intrare in gloriam ſuam a)*, CAPUT LVIII.

CAPUT LVIII.
CHRISTI ET JOANNIS DISPAR VITÆ RATIO.

Cui autem ſimilem æſtimabo generationem iſtam? Similis eſt pueris ſedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus dicunt: *Cecinimus vobis, et non ſaltaſtis: lamentavimus, et non planxiſtis.* Venit enim Joannes neque manducans, neque bibens, et dicunt: Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans, et bibens, et dicunt: Ecce homo vorax, et potator vini, publicanorum, et peccatorum amicus. Et iuſtificata eſt ſapientia a filiis ſuis. Matth. XI. 16. etc.

Luſu quasi puerili res omnium maxima ſummique ac unici nobis momenti ad conſiderandum hic proponitur, ſtatus nimirum naturæ, et gratiæ: naturæ lapſæ, qua ſumus filii iræ, filii vindictæ æterno ſupplicio Quaſi ſurdis Judæis cantata fabula.

a) *Luc. XXIV. 26.*

CAPUT LVIII. digni, quod nullis fletibus ſit expiandum: quem S. Joannes baptista fruſtra Judæis lamentans (*lamentavimus, et non planxiſtis*) repreſentat ſub veteri lege *quia lex per Moyſen data eſt, gratia et veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*, ut idem nobis denuntiat, Jo. I. 17. præcurſor Domini, quo nato mox angelus Luc. IJ. 10. *gaudium magnum* evangelizavit. *Et ſubito facta eſt cum angelo multitudo militiæ cæleſtis, laudantium Deum, et dicentium: Gloria in altiſſimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Eſt hoc *gaudium magnum*, quod tota vita ſua Chriſtus fruſtra Judæis evangelizavit: *Cecinimus vobis, et non ſaltaſtis.* „Vilis ſermo, ſed non vile myſterium, inquit, S. Ambroſius et poſt pauca *a*): Hoc eſt ergo myſterium: *Cantavimus vobis*, novi utiqne canticum Teſtamenti: *et non ſaltaſtis*, hoc eſt, non elevaſtis animam ad ſpiritalem gratiam. *Lamentavimus, et non ploraſtis*, hoc eſt, non egiſtis pœnitentiam. Et ideo derelictus eſt Judæorum populus; quia nec egit pœnitentiam, et gratiam refutavit. Per Joannem pœnitentia, per Chriſtum gratia. Iſtam quaſi Dominus donat, illam quaſi ſervus annuntiat. Utrumque igitur Eccleſia cuſtodit, ut et conſequatur gratiam, et non abiiciat pœnitentiam; gratia enim munus largientis eſt, pœnitentia delinquentis reme-

a) *Lib. II. de pœnitent. n.* 41. *et* 44. *T. II. p.* 426.

dium." Pœnitentiam S. Joannes et ore denuntiavit, et auſteritate vitæ opere demonſtravit: unde eius vita lamentationi aſſimilatur; Cantui Chriſti vita, qui ſuaviter voce, et benefactis omnes ad ſuſcipiendum Evangelium gratiæ, tripudium vitæ cœleſtis, provocavit. „Sermo Domini, ſunt verba S. Baſilii *a*), qui ad vitam æternam, et ad cœleſtium bonorum fruitionem invitat, melos erat, ad numeroſam concinnamque motionem, nec non ad efficacem virtutum operationem animas excitans. Joannis autem prædicatio, quæ inobedientes illos ad pœnitentiam convertebat, lamentum erat, quod triſtitiam ad ſalutem ſtabilem operabatur. Judæi autem propter cæcitatem cordis deprehenſi ſunt nullis verbis benignis ad vitam permoti, quin nec etiam aſperioribus ad pœnitentiam adducti fuiſſe." Regidiſſimus erat in deſerto victus et veſtitus Joannis; vita Chriſti cum Judæis ſocialis: cum illis bibebat, et manducabat, etiam cum publicanis et peccatoribus, nec Phariſæorum hoſtium convivia abhorrebat; ut eos ſibi conciliaret, allectaretque, nullam præteribat occaſionem hortandi, animandi, inſtruendi. *Cecinimus vobis et non ſaltaſtis.* „Provocavimus, cum S. Hieronymo in h. l. loquor, ut ad noſtrum canticum bona opera faceretis, et ſaltaretis ad

a) *In Iſaiæ V.*

CAPUT LVIII. noſtram tibiam: ſicut ſaltavit et David ante arcam Domini, et noluiſtis. Lamentati ſumus, et vos ad pœnitentiam provocavimus; et ne hoc quidem facere voluiſtis, ſpernentes utramque prædicationem, tam exhortationis ad virtutes, quam pœnitentiæ poſt peccata. Nec mirum ſi duplicem viam contempſeritis ſalutis, quum et Dei ieiunium, et ſaturitatem pariter ſpreveritis. Si ieiunium vobis placuit, cur Joannes diſplicuit? ſi ſaturitas, cur filius hominis diſplicuit? quorum alterum dæmonium habentem, alterum voratorem et ebrium nuncupatis. Ergo quia vos noluiſtis utrumque recipere, iuſtificata eſt ſapientia a filiis ſuis: id eſt Dei diſpenſatio atque doctrina. " Quæ hic vocatur S. Patri *Dei diſpenſatio* in hac ſententia, qua *iuſtificata* dicitur *ſapientia ab omnibus*, ut Luc. VII. 35. legitur, *filiis ſuis*, ἐδικαιώθη, explicatur apud eundem Lucam his præmiſſis narrationi verbis. *Et omnis populus audiens et publicani iuſtificaverunt* ἐδικαίωσαν *Deum*, *bapizati baptiſmo Joannis. Phariſæi autem et legis periti conſilium Dei ſpreverunt in ſemetipſos, non bapizati ab eo.* Ubi vox βȣλὴ conſilium reſpondet voci σοφία in altera, quæ apud utrumque evangeliſtam legitur, ſententia, ad ſignificandum divinæ ſapientiæ conſilium in diſponendis Judæorum animis per baptiſmum Joannis in pœnitentiam, verbis et exemplo a præ-

cursore præmonstratam ad evangelium regni gratiæ Christi et gloriæ, quod ſpreverunt Judæi: quos ferit, prout mox apud Matthæum XI. 20. etc. proposito textui ſubiicitur: *Tunc cæpit exprobrare civitatibus, in quibus factæ ſunt plurimæ virtutes eius, quia non egissent pænitentiam. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia, si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio et cinere egissent pænitentiam etc. In illo tempore*, pergit evangelista, *respondens Jesus dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cæli et terræ, quia abscondisti hæc a ſapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Sunt hi populus et publicani, illi Pharisæi et legis periti, quos modo ex Luc. VII. 29. et 30. notavimus.

CAPUT LIX.

CUI PLUS REMITTITUR, PLUS DILIGIT.

Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister, dic. Duo debitores erant cuidam fœneratori: unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta. Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque. *Quis ergo eum plus diligit? Respondens Simon dixit: Æstimo, quia is, cui plus donavit. At ille dixit; Recte iudicasti.* Luc. VII. 40. etc.

Exemplo Mariæ Magdalenæ et Petri.

Vide, et adora filii Dei divinam ſapientiam et bonitatem. Manducat apud Phariſæum ex illo nempe hominum genere, qui eum carpebant, quod cum publicanis et peccatoribus manducaret. Simonem hunc eiusdem fuiſse cum cæteris Phariſæis mentis, oſtendit, quod indigne ferat accedere mulierem, *quæ erat in civitate peccatrix*, licet adeo pœnitens illa eſſet, ut provoluta in terram lacrymis rigaret pedes Domini. Quam ſuaviter vero amabo! efficaciterque ad meliorem rectamque mentem revocat hominem, ad agnitionem profeſſionemque veritatis omnium maximæ, in qua tota ver-

git redemtionis humanæ œconomia! prout ipse Christus ipsis Pharisæis in illa occaſione, qua Christum ægre ferebant cum publicanis et peccatoribus manducare, palam manifestabat, se non venisse vocare iustos, ſed peccatores ad pœnitentiam *a*); quali pœnitentia ducta utique erat mulier commensurans cum magnitudine peccatorum magnitudinem amoris, adeoque ipso Pharisæi iudicio absolvenda a Christo: *Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Quæ vero mens esse debuisset Simoni, si Christum non tantum prophetam, ſed omniscium verum Filium Dei, ſcrutatorem renum et cordium agnovisset? Si, ut ei Christus tam placide insinuaverat, ad examen revocasset, rationesque iniisset anteactæ vitæ ſuæ reperturus forte ampliorem materiam ad maiorem dilectionem, si vera reatuum ſuorum pœnitentia ductus ad eius et ipse provolutus pedes, ea fecisset, quæ quod neglexerit tam oportune, officiose, et amanter Christus ei exprobrat, proposito mulieris peccatricis exemplo: *Et conversus ad mulierem dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, et capillis ſuis tersit. Osculum mihi non dedisti: hæc autem, ex quo intravit, non cessavit osculari*

a) *Luc. V.* 32.

Caput LIX.

pedes meos. Oleo caput meum non unxiſti : hæc autem unquento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi : Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.

Illa ipsa creditur hæc mulier, quæ postea plorans, atque eodem amore conflagrans mortuo et ſepulto Christo tam perſeveranter ad monumentum ſtabat. „Qua in re penſandum est, cum S. Gregorio loquar *a)*, huius mulieris mentem quanta vis amoris accenderat, quæ a monumento Domini etiam discipulis recedentibus non recedebat. Exquirebat quem non invenerat, flebat inquirendo, et amoris ſui igne ſuccenſa, eius, quem ablatum credidit, ardebat deſiderio. Unde contigit, ut eum ſola tunc videret, quæ remanſit, ut quæreret.“ Nec hoc ſolum, verum etiam prima resurrectionis nuntia a Christo ad apostolos apostola mitti digna fuit iis consolatione plenis verbis, quæ nunquam ſine extasi quadam mentis audiri debeant: *Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum: Deum meum, et Deum vestrum.* Sic etiam præ cæteris apostolis post resurrectionem ſuam primus Petro apparuit, qui eum ter negaverat, ſed ſtatim lapſum, reſpectus a Christo, amare defleverat, et deinceps Christum præ cæteris amabat, ideoque paſcendas oves acce-

a) *Lib. II. in Evang. Hom. XXV. n. 1. T. I. p.* 1545.

pit. Teſtante autem S. Jo. Chryſoſtomo: „Idcirco Coryphæum cadere permiſit, ut illum moderatiorem redderet, et ad maiorem charitatem induceret. *Cui enim plus remiſſum fuerit, is magis diliget a).* “ Utroque hoc exemplo nihil aptius eſſe poteſt, ad magnitudinem divinæ erga nos peccatores clementiæ ob oculos ponendam erigendosque ex ipſa reatus enormitate animos, ſi ei effectus pœnitentiæ ſalutaris reſpondeat, atque magnitudo dilectionis ex affectu grati pro venia animi: dum cernimus Petrum poſtquam ter negaſſet, plus cæteris Chriſtum amantem caput Eccleſiæ conſtitui; Mariam prius peccatricem exuberantiam amoris tot teſtimoniis comprobantem dignam habitam, quæ prima non ſolum Chriſtum videret poſt reſurrectionem, verum etiam lætiſſimum nobis omnibus Chriſti fidelibus nuntium, ſe aſcenſurum ad Patrem ſuum et Patrem noſtrum, Deum ſuum et Deum noſtrum (quæ eſt unica ſpes noſtra, maximaque dignatio) deferret fratribus cohæredibus vitæ æternæ in cœlis, quo ipſe, parare nobis locum, iam erat præiturus.

a) *Hom. LXXXII. in Matth. n. 4. T. VII. p. 787.*

Caput LX.

CAPUT LX.

DÆMONURGIA.

Quomodo poteſt quiſquam intrare in domum fortis; et vaſa eius diripere, niſi prius alligaverit fortem? Et tunc domum illius diripiet. Matth. XII. 29.

Noſtra culpa in nos.

A pari hoc dicit, profertque inter alia argumenta contra Judæos blaſphemantes, Chriſtum in Beelzebub eiicere dæmonia, hanc ſimilitudinem; quæ explicatior eſt Luc. XI. 21. etc. Ubi ſtatus humani generis ante Chriſtum adumbratur his verbis: *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſſidet. Si autem fortior eo ſuperveniens vicerit eum; univerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, et ſpolia eius diſtribuet.* Abſit ut comparatio inſtituta videatur inter dæmonem fortem, ac fortiorem eo ſupervenientem Chriſtum. „Fortem autem illum appellat, inquit S. Chryſoſtomus *a*), non quod natura talis ſit. Abſit, ſed priorem ſignificans tyrannidem ex negligentia noſtra ſtabilitam." Et S. Auguſtinus, „quia, inquit *b*), ille tenebat, ne poſſent viribus ſuis ab illo ſe homines

a) *Hom. XLII. in Matth. n. 3. T. VII. p.* 447.
b) *Lib. I. Quæſt. Evang. quæſt.* 5.

eruere." Sic Caſſiodoro *a*) fortes ideo dicuntur dæmones, quia mortalium ſuperant fragiles imbecillitates. Omnibus expreſſius V. Hildebertus in Serm. de laudibus crucis *b*), „quem, inquit, non ſua virtus, ſed noſtra peccata fortem fecerunt: qui dominium ſuper nos usurpavit, non ſua virtute, ſed ex noſtra infirmitate." Igitur cauſa penes nos eſt, et culpa, quod tyrannidem exercet in genus humanum dæmon, ut fuit præſertim miſerrimus ſtatus ante Chriſtum inter gentes, idolis, abiecto veri Dei cultu, atque adeo dæmonibus ſervientes, qua impietate ſæpe etiam Iſraelitæ abripiebantur: erantque, dum venit Chriſtus, varias in ſectas ob religionem ſciſſi, erroribus et moribus depravati.

Erat inter has ſecta Sadducæorum, *qui dicunt non eſſe reſurrectionem, neque angelum, neque ſpiritum c*), ut ſunt etiamnum hodie tanto proh dolor numero, quos non pudet ſe brutis æquiparare, atque in anima noſtra divinam illam originem non verentur inficiari, qua ad imaginem et ſimilitudinem Dei conditi ſumus divina inſtructi virtute, ut ad imperium animæ noſtræ ſpiritualis regatur corpus animale: ac ſi vero ad hoc opus ſit immediato craſſo quodam influxu

a) *In Pſalm. LVIII.* 3. *T. II. p.* 184. *b*) *Pag.* 594.
c) *Act. XXIII.* 8.

CAPUT LX.

physico, quem ſcholaſtici ſtatuiſſe ſunt viſi in materiam ſeu corpus? Nec potuerit omnipotens illa divina virtus, quæ omnia ex nihilo condidit, etiam ſpirituali creaturæ (quin opus ſit harmonia præſtabilita, aut cauſis occaſionalibus, quorum homini alterum, alterum Deo indignum) vim illam indere ad repræſentandas in intellectu res corporales, utque quodam voluntatis imperio in eas agant. Materialiſtas hic convenio Chriſti ad Sadducæos verbis: *Erratis non intelligentes ſcripturas*, quæ in veteri et novo teſtamento de angelicis ſpiritibus tam bonis quam malis tot habent teſtimonia ab exordio Geneſis, ad poſtremum uſque librorum theopneuſtorum novi teſtamenti, Evangeliorum imprimis, in quo non ſolum tanta habentur ipſius Chriſti teſtimonia de bonis et malis angelis, ſatana, dæmonibus, verum etiam tot documenta de iisdem ex corporibus hominum expulſis: dum nihilominus ii etiam, qui veritatem evangelicam præſeferunt agnoſcere, haud reverentur obſeſſiones dæmonum, quotquot memorantur, morbis corporalibus tribuere, quibus detenti a Chriſto ſint liberati, etiam, dum ire dæmonibus in porcorum gregem permiſit *a*): *Et ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare: et mortui ſunt in aquis.* Quis non rideat gregem porcorum eſſe mortuum

a) *Matth. VIII.* 32.

morbo illo, quo duo illi detinebantur, a quibus Christus eiecit dæmonia? Sic ſe deridendos præbent, qui maxime hanc, dæmonum, porcorum gregem invadere permiſſorum, narrationem evangelicam riſu excipere ac contemtu, ſibi in animum induxerunt duo ocelli irreligioſorum ævi noſtri Voltaire et Rouſſeau.

Quod tamen ipſum exemplum hoc porcorum, argumentum eſt invictum, cuique nihil oggeri queat, quod tum exiſtentiam dæmonum, cum dæmonurgiam ipſam attinet: erantque iuxta S. Marcum duo millia præcipitatorum in flumen porcorum; ſive inde multitudinem dæmonum eiectorum coniicias, ſive dæmonum in corpora agendi vim, et ſiquidem influxum phyſicum materialem ſtatuere ſcholaſtici naturæ ſpirituum videantur repugnantem, ideo tamen ἀφυσιολόγητον haud eſt, atque pro indita entibus ſpiritualibus a Deo creatore virtute φύσει ſeu naturaliter res fieri dici poteſt: quatenus entia illa ſpiritualia ſive extra corpus ſive in corpore, (quales paſſim SS. Patres agnoſcunt ſpiritus etiam aëreos, aëreo inſtructos corpore) intellectu et voluntate prædita, (uti homo in hoc orbe terraqueo ad imaginem et ſimilitudinem Dei factus) atque etiam ad hoc condita, ut connexione

Caput LX. diverſimoda ac communione quacunque demum cum mundo aſpectabili (quibus *cæli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annuntiant firmamentum*) munia ſua in hoc univerſo perinde ac homo, corpore et anima conſtans, obeant.

Hinc D. Paulo *omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus a)* intellectu præditi ad concipiendas rerum huius univerſi ideas, ac voluntate, cuius nutu et imperio in res etiam corporeas extra ſe poſitas agant, et operentur ſecundum fines cuique illorum entium ſpiritualium a Deo conditore præſtitutos, ac conſtitutos limites; poſt lapſum vero reſtrictos uti in dæmonibus, ita etiam in hominibus aſtu dæmonis deceptis, ideoque expedito primigenio imperio in ſe ipſum, et alias res, quibus præeſſe debuerant, deiectis, atque eorum tyrannidi expoſitis, quorum malis artibus a Deo conditore averſi nobis ipſis relinquimur infirmi ac debiles, infeſtationibus dæmonum poſt peccatum primorum parentum continuo obnoxii, ob quas apoſtolus monet Epheſios *b)*: *Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli: quoniam non eſt nobis colluctatio adverſus carnem et ſanguinem: ſed adverſus principes, et poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia*

a) Hebr. I. 14. *b) Eph. VI. 11.*

nequitiæ in cœleſtibus, aëreis ſcilicet regionibus, prout ſupra appellaverat principem potestatis aëris huius ſpiritum, *qui nunc operatur in filios diffidentiæ a)*, qui D. Petro (a quo tam ſerio monemur, ut *ſobrii ſimus, et vigilemus b)*, ob adverſarium nostrum diabolum, qui *circuit quærens quem devoret*) dicuntur *Servi corruptionis*, ſub ſervitute nimirum diaboli consistentes: *a quo enim quis ſuperatus est, huius et ſervus est c)*, ut idem princeps apostolorum proſequitur, veluti in mente habens ſermonem hunc Christi, ſicut ea adhuc magis declarant, quæ apud ipsum et evangelistam ſequuntur eo ſolum diſcrimine *d)*, quod D. Petrus miſerrimum ſtatum eorum deſcribat, qui post agnitionem veritatis christianæ deficiunt: *Si enim*, inquit, *refugientes coinquinationes mundi in agnitione Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi, his rursus implicati ſuperantur: facta ſunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non agnoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorſum converti ab eo, quod eis traditum est, ſancto mandato.* Christus vero *Cum*, inquit *e)*, *immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem: et non inveniens dicit: Revertar in do-* Caput LX.

a) *Eph. II.* 2. b) *I. Petr. V.* 8. *et I. Thes. V.* 6. c) *II. Petr. II.* 19. d) *Luc. XI.* e) *Luc. XI.* 24. *et Matth. XII.* 43.

CAPUT LX. *mum meam, unde exivi. Et cum venerit, invenit eam vacantem ſcopis mundatam, et ornatam. Tunc vadit, et aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum, nequiores ſe, et intrantes habitant ibi: et fiunt noviſſima hominis illius peiora prioribus. Sic erit et generationi huic peſſimæ.* Prænuntiat hic Chriſtus genti Judaicæ omnimodam traditionem ſatanæ, ſervitutemque, quam eſſent ſubituri iuſtiſſimo Dei iudicio, qui poſtquam toties eſſent a Deo erepti, in peculiarem populum electi, eo demum perverſitate ſunt prolapſi, ut eius opera, qui advenerat alligare fortem, et domum illius diripere, ipſi dæmoni, Beelzebub principi dæmoniorum tribuerent, atque ſic peccatum in Spiritum S. complerent irremiſſibile, ut paulo ante habetur Matth. XII. 31. *Omne peccatum, et blaſphemia remittetur hominibus, ſpiritus autem blaſphemia non remittetur.* Generalis eſt ſententia, cui quomodo Chriſtiani fiant obnoxii, modo ex S. Petro audivimus. Plana vero et expedita eſt applicatio exempli de immundo ſpiritu in domum ſuam revertente, quam vacantem, ſcopis mundatam et ornatam reperit, pompæ nimirum, et operibus ſatanæ in corruptione carnis, et faſcinatione mundi, quibus in baptiſmo ſimul renunciavimus carni, mundo, et dæmoni, et toties præſertim in ſacramento pœnitentiæ renovavimus propoſitum, iterum nihilominus

relapſi horribili nos periculo exponimus tandem irremiſſibiliter a Deo relinqui, ut oſtendimus tractando *de peccato in Spiritum S. irremiſſibili.* CAPUT LXI.

CAPUT LXI.

POTESTAS IN DÆMONES, ET CURATIONUM.

Et convocatis duodecim diſcipulis ſuis, *dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, ut eiicerent eos, et curarent omnem languorem, et omnem infirmitatem.* Matth. X. 1.

Adiungendum hoc caput proxime ſuperiori de *dæmonurgia*, ſuntque hic rememoranda, quæ paucis de ſtatu integritatis attigimus, antequam aſtu dæmonis deiecti ſunt protoparentes noſtri ſorte illa beata in paradyſo; iam vero ſervi poſt lapſum illius, a quo devicti ſunt, facti diabolo obnoxii variiſque languoribus et infirmitatibus, a quibus omnibus liberandis Chriſtus apoſtolis hic dedit poteſtatem: uti etiam Luc. X. ſeptuaginta duo diſcipuli, quos *miſit binos ante faciem ſuam in omnem civitatem, et locum, quo erat ipſe venturus*, *reverſi* leguntur *cum* Data a Christo Domino Deo.

CAPUT LXI. *gaudio dicentes: Domine, etiam dæmonia ſubiſ-ciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis: Videbam ſatanam ſicut fulgur de cœlo cadentem a).* Eum Christus se hic demonstrat, quem S. Joannes initio nobis ſui Evangelii denuntiat *b*): *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum*, antequam nimirum mundus existeret hic aspectabilis, iam erat, viditque luciferum cum ſuis angelis apostaticis in pœnam ſuperbiæ ſuæ cœlo deiici.

Is eundem ſuperbiæ ſpiritum protoparentibus nostris insinuans, eos etiam, atque cum illis totum genus humanum ſecum in perditionem traxit; ut in pœnam inobedientiæ inobedientes, adversas, et nocivas experiretur homo creaturas, quibus, ut præesset, in creatione potestatem acceperat *c*), ſqua id homines ſuapte tunc poterant in ſe-ipsis, et aliis etiam creaturis, quod iam miraculo deputatur: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi ſupra ſerpentes, et ſcorpiones, et ſuper omnem virtutem inimici: et nihil vobis nocebit d).* Prout nimirum homini post lapsum res in se et extra se noxiæ, mortiferæ, pestilentes ſunt redditæ. „Hinc, ut rem explicat D. Thomas *e*), inobedientia ad hominem

a) Luc. X. 17. b) Jo. I. 1. c) Gen. I. 26. d) Luc. X. 19. e) P. I. q. 96. a. 1.

eorum, quæ ei debent esse ſubiecta, ſubſecuta eſt in pœnam eius, eoquod ipſe fuit inobediens Deo. Et ideo in ſtatu innocentiæ ante inobedientiam nihil ei repugnabat, quod naturaliter deberet ei eſſe ſubiectum." Dum vero Chriſtus hanc poteſtatem hic et alibi ſe dare ac reſtituere dicit, etiam hoc ipſo ſe Deum eſſe demonſtrat, Verbum illud, *per quod omnia facta ſunt.*

Miracula quidem et ab aliis ante Chriſtum ſunt facta, a Moyſe, et prophetis, ſed patrandi mira poteſtatem præter Chriſtum nemo unquam dedit, aut dare potuit, vel reſtituere datam in creatione, ut præeſſet homo, et ad nutum ſuum haberet cæteras res, niſi is, qui illud imperium primitus dederat Deus creator et gubernator rerum, qui ad imaginem et ſimilitudinem ſuam creavit hominem, inſtructum omnibus facultatibus illis, quæ neceſſariæ ſunt ad ſui rerumque omnium, quibus præfectus eſt, regimen; quas ſibi adverſas iam et refragarias, perinde ac ſeipſum ſibi, ſentit, atque infeſtum ſatana ſeu diabolum imprimis, qui *erat homicida ab initio a)*: *princeps huius mundi b)* a Chriſto eiectus foras, nobis tamen relictus ad luctam: „Ut, ſunt verba S. Cyrilli Hieroſol. c), et ipſe

a) *Jo. VIII.* 44. b) *Ib. XII.* 31. c) *Catech. VIII. p.* 123.

Caput LXI. maiori verecundia afficiatur ſuperatus, et homines coronis illuſtrentur. O ſapientiæ plenam providentiam Dei! quæ pravam illam voluntatem ad fidelium ſalutis inſtrumentum aſſumit etc." Et S. Ambroſius, „Vides, inquit *a*), magnificentiam chriſtiani viri, qui certat cum rectoribus mundi: et licet conſtitutus in terris, adverſus ſpiritalia nequitiæ, quæ ſunt in cœleſtibus, animi virtute decernit." Prout mox ſuperiore cap. exhortantem ad hanc pugnam animantemque D. Paulum audivimus cum D. Petro, ut diabolo reſiſtamus *fortes in fide:* cum certa nimirum fiducia in Chriſto, *induti loricam fidei et charitatis, et galeam ſpem ſalutis: quoniam non poſuit nos Deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* I. Theſ. V. 8. Et ut Epheſios VI. 14. hortatur: *State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, et induti loricam iuſtitiæ, et calceati pedes in præparatione evangelii pacis: in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere.* Quæſo, quanto ſolatio cuique homini chriſtiano eſſe debet, in ſua poteſtate eum eſſe per Chriſtum, cui per Adamum fueramus mancipati! Relictam eſſe in Eccleſia apoſtolis et diſcipulis Domini datam *poteſtatem ſpirituum immundorum, ut eiicerent eos b*):

a) *Lib. IV. in Luc. T. I. p.* 1344.
b) *Matth. X.* 1.

virtutem et potestatem ſuper omnia dæmonia a): ſuper omnem virtutem inimici b).

CAPUT LXII.

SIGNUM JONÆ DATUM JUDÆIS.

Magiſter, volumus a te ſignum videre. Qui respondens, ait illis: Generatio mala, et adultera ſignum quærit: *Et ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Jonæ prophetæ.* Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus; ſic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, et tribus noctibus etc. Matth. XII. 38. 39. 40.

„Sic ſignum poſtulant, inquit S. Hieronymus in hunc locum c), quaſi quæ viderant, ſigna non fuerint. Sed in alio loco evangeliſtæ, quid petant, explicatur: *Volumus a te ſignum de cælo.* Vel in morem Eliæ, ignem de ſublimi venire cupiebant: vel in ſimilitudinem Samuelis, tempore æſtivo contra naturam loci mugire tonitrua, corruſcare fulgura, imbres ruere, quaſi non poſſint et illa calumniari, et dicere ex

Signum de cœlo petentibus.

a) *Luc. IX.* 1. b) *Ibid. X.* 19.
c) *T. IV. p.* 50. *etc.*

CAPUT LXII. occultis et variis aëris passionibus accidiſse. Nam qui calumniaris ea, quæ oculis vides, manu tenes, utilitate ſentis: quid facturus es de his, quæ de cœlo venerint? utique respondebis, et magos in Ægypto multa ſigna fecisse de cœlo." Apud Joannem postquam quinque millia hominum Christus in deserto cibasset, etiam ſignum petunt, quale nimirum Moysis fuit, qui Israelitas quadraginta annis pavit manna. *Patres nostri manducaverunt manna in deserto, ſicut ſcriptum est: Panem de cœlo dedit eis manducare a).* Et ad hoc videntur etiam hic maxime respicere Pharisæi et Scribæ, veluti infra apud eundem evangelistam, ut videbimus, Pharisæi et Sadducæi tentantes: *et rogaverunt eum, ut ſignum de cœlo ostenderet eis.* Et iterum ad ſignum Jonæ provocatur uti apud alios evangelistas. „Petebant ergo, ut S. Thomas in hunc locum commentatur *b*), ſignum de cœlestibus, ſed non erant digni videre. Hoc enim dedit apostolis ſuis, qui viderunt eum ascendentem, qui gloriam Dei viderunt in monte. Sed istis non dabitur nisi ſignum in inferno quantum ad animam, et de terra quantum ad corpus. *Unde non dabitur eis nisi ſignum Jonæ prophetæ.*" Exponitur hoc expressius Matth. XII. ad eorum malitiam perstringendam, qui blasphemabant Christum in Beelzebub principe

a) *Jo. VI.* 31. *b*) *T. III. p.* 169.

apud inferos, eiicere dæmonia: hinc eis ſignum ab inferis prædicit, atque tam apposite exemplo Jonæ proponit, filium hominis fore in corde terræ (qui mortuus descendit ad inferos) de resurrectione (quam obscurius, ut ſupra vidimus, innuit, quando primum ministerium ſuum auspicatus in templo ſignum ab eo petebant *a*): *Respondit Jesus, et dixit eis: Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud*) hic nihil addit, quam credituri non erant, Ninivitis (quorum fatum Judæi reversione urbis ſubierunt, quod Ninivitæ acri pœnitentia ſunt ammoliti) deteriores, quod ſimul mira ſimplicitate exprobrat: *Sicut enim,* inquit, *fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus; Sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, et tribus noctibus. Viri Ninivitæ ſurgent in iudicio cum generatione ista, et condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. Et ecce plus quam Jonas hic.* CAPUT LXII.

Quam divinum vero, quam ſublime est, dum Christus ſese indigitans Matth. XII, 41. 42. dicit: *Et ecce plus quam Jonas hic: Et ecce plus quam Salomon hic.* Quis ſibi in animum inducat, magistrum humilitatis, cuius virtutis exemplum discipulos ſuos a ſe accipere ſingulariter mandavit: *Discite a me*, inquit, *quia mitis ſum et humilis corde;*

a) *Jo. II.* 18.

CAPUT LXII. magistrum, inquam, hunc humilitatis ita de ſeipſo locuturum fuiſſe? *Et ecce plus quam Jonas, plus quam Salomon hic etc.* niſi plus quam homo, niſi Deus fuiſſet, Verbum divinum incarnatum, Filius Dei perinde ac filius hominis. Quæ obſervatio, ſi in lectione Evangelii ſemper præ oculis habeatur, ubique locum habere deprehendetur contra Socinianorum blaſphemias, hodie undique percrebreſcentes, qui dum poſt tantam evangelicam lucem (cum totum Evangelium pertextum ſit infinitis teſtimoniis, quibus Chriſtus plus quam hominem, Deum ſe commonſtrat, palamque denunciat) Chriſti divinitatem negare non perhorreſcunt, excæcatiores ſe monſtrant Judæis blaſphemis, dum ipſi blaſphemare Chriſtum (nec iniuria, niſi revera Deus fuiſſet) dicunt, ac lapidare volunt, *quia tu homo cum ſis*, ut aiunt Jo. X. 33. *facis teipſum Deum:* quod iterum firmat Chriſtus, argumento a minore ad maius, allato Ps. LXXXI. 6. loco: *Ego dixi dii eſtis*, ut ſe plus quam Jonam, amplius quam Salomonem, plus quam hominem, verum Deum de Deo vero demonſtraret, *ſi*, pergit, *illos dixit deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, et non poteſt ſolvi ſcriptura: quem Pater ſanctificavit, et miſit in mundum, vos dicitis: Quia blaſphemas: quia dixi, Filius Dei ſum? Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio: et ſi mihi non vultis*

credere, operibus credite, ut cognoſcatis, et credatis, quia Pater in me eſt, et ego in Patre. Quod dum non fecerunt, Judæi, indigni fuerunt, quibus ſe Christus virtute ſua divina ex mortuis reſurgens plus quam Jonam (e ventre piſcis non ſuapte virtute vivum prodeuntem ſed eiectum) oſtenderet. Exemplum Jonæ ob oculos ponens S. Juſtinus M. exprobrat Tryphoni Judæo, „cum, inquit *a*), ſcirent omnes veſtri generis homines a Jona facta eſſe, cumque Chriſtus apud vos clamaret, ſe ſignum Jonæ vobis daturum, adhortans, ut ſaltem poſtquam a mortuis reſurrexiſſet, pœnitentiam improbe factorum ageretis, et Ninivitarum exemplo lacrymis Deum flecteretis, ne gens veſtra, et civitas capta everteretur, quemadmodum everſa eſt; non modo pœnitentiam non egiſtis, poſtquam illum ex mortuis reſurrexiſſe didiciſtis; ſed etiam, ut iam dixi, delectos homines conſtituiſtis, ac per eos in totum orbem terrarum miſſos prædicaſtis impiam quamdam et exlegem ſectam a plano quodam Jeſu Galilæo excitatam eſſe, et cum illum a vobis crucifixum diſcipuli ex monumento, in quo, refixus e cruce depoſitus fuerat, noctu ſurripuerint, decipi ab illis homines, dum eum ex mortuis reſurrexiſſe, et in cœlum aſcendiſſe dictitant.“

Caput LXII.

a) *N.* 108. *p.* 202.

Caput LXIII.

CAPUT LXIII.

OBSEQUIA ERGA DEUM OMNIBUS PRÆFERENDA.

Dixit ei quidam: Ecce mater tua, et fratres tui foris ſtant quærentes te. At ipse respondens dicenti ſibi, ait: Quæ est mater mea, et qui ſunt fratres mei? *Et extendens manum in discipulos ſuos, dixit: Ecce mater mea, et fratres mei.* Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est; ipse meus frater, et ſoror, et mater est. Matth. XII. 47. etc.

Felicitas matris Dei maior in regeneratione quam generatione filii.

Idem hic dicit, et exemplo ſuo faciendum passim alibi commonstrat, propter se et evangelium omnia relinquenda esse etiam parentes et proximos quosque necessarios, discipulos, qui id facturi erant, designans. „Moralis magister, ſunt verba S. Ambrosii [Exposit. in Luc. *a*)] qui de se cæteris præbet exemplum, atque ipse præceptor, ipse etiam ſuorum exsecutor est præceptorum. Præscripturus enim cæteris, quoniam, qui non reliquerit patrem et matrem ſuam, non est Filio Dei dignus, ſententiæ huic primus ipse se ſubiicit: non quo maternæ

a) *L. VI. n.* 36. *T. I. p.* 1392.

refutet pietatis obſequia (ipſius enim præceptum eſt: *Qui non honoraverit patrem aut matrem, morte moriatur*) ſed quia paternis myſteriis amplius, quam maternis affectibus ſe debere cognoſcat. Neque tamen iniuriose refutantur parentes, ſed religioſiores copulæ mentium docentur eſſe, quam corporum." Videtur S. Hieronymo in h. l. iſtum *a*), qui nunciat, non fortuito et ſimpliciter nunciare, ſed inſidias tendere Salvatori: utrum ſpirituali operi carnem et ſanguinem præferat. „Unde et Dominus, inquit, non quod negaret matrem et fratres, exire contempſit, ſed quod reſponderet inſidianti, extendens manum in diſcipulos ait: *Ecce mater mea, et fratres mei etc.* Iſti ſunt mater mea, qui me quotidie in credentium animis generant. Iſti ſunt fratres mei, qui faciunt opera Patris mei. Non ergo iuxta Marcionem et Manichæum matrem negavit, ut natus de phantaſmate putaretur, ſed apoſtolos cognationi prætulit, ut et nos in comparatione dilectionis carni ſpiritum præferamus." Marcionem paucis expedit Tertullianus: „Exclamat mulier, inquit *b*), de turba, beatum uterum, qui illum portaſſet, et ubera, quæ illum educaſſent. Et Dominus: Immo beati, qui ſermonem Dei audiunt, et faciunt. Quia et retro ſic reiecerat matrem, aut fratres, dum auditores

a) *T. IV. p.* 52. *b*) *Lib. IV. contra Marcion. p.* 443.

CAPUT LXIII. et obsecutores Dei præfert. Nam nec hic mater assistebat illi. Adeo nec retro negaverat, ut ne tum cum id rursus audit; rursus proinde felicitatem ab utero, et uberibus matris ſuæ transtulit in discipulos; a qua non transtulisset, si eam non haberet. “ Dissertius S. Hilarius in h. l. et ordinem officiorum erga Deum et homines in evangelica dilectione explicat, et matris Dei dignitati, reverentiæque consulit: „Quia, inquit *a*), totum illud in paternæ maiestatis virtute loqueretur, nuntianti ſibi, quod foris a matre atque a fratribus exspectaretur, manum in discipulos extendens, eos ſibi fratres esse matremque respondit; et quicunque voluntati paternæ obsecutus esset, eum esse et fratrem, et ſororem, et matrem: formam ſeipsum universis agendi, ſentiendique constituens, propinquitatum omnium ius, atque nomen, iam non de conditione nascendi, ſed de Ecclesiæ communione retinendum. Cæterum non fastidiose de matre ſua ſensisse existimandus est, cui in passione positus maximæ ſollicitudinis tribuerit affectum. “ Argutant hic, quod in cruce mulierem appellet Christus, non matrem. Ubi tamen, ſicut ſummi materni affectus argumentum præbebat Maria, quæ recedentibus charis discipulis ſola ſub cruce ſtabat cum discipulo, quem diligebat Jesus,

a) *Comment. in Matth. c. IV. n. 24. p. 675.*

ita filius eam matrem discipulo consignans, dilecto, utique maximo, inter dirissimos licet cruciatus, filiali prospexit matri affectu. Nec hoc præterit S. Ambrosius Marcionem et Manichæos incessens, etsi præsenti, quem versamus loco ſynagogæ personam ſustinere cum aliis dicat Mariam, de qua natus est Christus ſecundum carnem, ex ſemine Abrahæ, quod ad vetus Testamentum pertinet, ac ſynagogam, cui in novo ſubstituta est Ecclesia. „Quæ, de Maria loquitur S. Pater *a*), de cruce etiam agnoscitur, ſed necessitudini corporali præscriptorum cœlestium forma præfertur. Illud quoque intelligere non abhorret, quia per figuram parentum demonstrat, Judæis, ex quibus est Christus ſecundum carnem, Ecclesiam quæ credidit, præferendam.“ Hoc de figura ſynagogæ explicatius habet loco citato S. Hilarius.

S. Jo. Chrysostomus pulchre, quod est morale in ſententia Christi, ad ipsam beatissimam matrem reflectit, eiusque exemplo ad alios: „Nam, inquit *b*), si illam nihil iuvabat, quod mater esset, nisi esset virtuti addicta, vix ac ne vix quidem alius

a) *Exposit. Evang. ſecund. Luc. lib. VI. n.* 38. *p.* 1393. *S. August. de fide et ſymbolo n.* 9. *T. VI. p.* 156.
b) *Hom. XLIV. n.* 1. *p.* 468. *T. VII.*

Caput LXIII. ratione cognationis ſalutem conſequetur. Sola quippe nobilitas eſt, voluntatem Dei facere. Hic nobilitatis modus melior et præſtantior eſt illo. " S. Auguſtinus, in libro de S. Virginitate *a)*, poſtquam ex verbis Chriſti docuiſſet, carnali cognationi genus noſtrum ſpirituale eſſe præponendum, nec, inde cum S. Chryſoſtomo colligit, beatos eſſe homines, ſi iuſtis et ſanctis carnis propinquitate iunguntur, ſed ſi eorum doctrinæ et moribus obediendo atque imitando cohæreſcunt. „Beatior ergo, pergit, Maria percipiendo fidem Chriſti, quam concipiendo carnem Chriſti. Nam et dicenti cuidam: *Beatus venter, qui te portavit:* ipſe reſpondit: *Imo beati, qui audiunt verbum Dei, et cuſtodiunt illud.* Denique fratribus eius, id eſt, ſecundum carnem cognatis, qui non in eum crediderunt, quid profuit illa cognatio? Sic et materna propinquitas nihil Mariæ profuiſſet, niſi felicius Chriſtum corde quam carne geſtaſſet." Occaſionem S. Chryſoſtomus hinc ſumit opportunam omnino Judæos perſtringendi, qui tum auditores erant, ex illis verbis: *Quinimo, qui audiunt verbum Dei, et cuſtodiunt illud.* „Viden' quomodo non uſpiam neget naturalem hanc cognationem; ſed addat illam affinitatem, quæ ſecundum virtutem eſt. Præcurſor quoque cum dicit *geni-*

a) T. VI. p. 342.

mina viperarum, ne videamini dicere: patrem habemus Abraham, non declarat eos non eſſe ſecundum naturam ex Abrahamo ortos; ſed nihil illis prodeſſe quod ex Abrahamo ſint orti, nisi etiam morum cognationem haberent: quod etiam Chriſtus declarat his verbis: *Si filii Abraham eſſetis, opera utique Abrahæ faceretis.* " S. Gregorius M. ſubtiliter electionem gentium et reiectionem Judæorum colligit ex verbis Chriſti: „*Quæ eſt mater mea, et qui ſunt fratres mei? Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt etc.* Quibus, inquit *a*), nobis verbis, quid aliud innuit, nisi quod obſequentes iuſſionibus ſuis multos ex gentilitate colligit, et Judæam, ex cuius carne eſt genitus, non agnoſcit? Unde et mater eius cum quasi non agnoſcitur, foris ſtare perhibetur: quia videlicet ſynagoga idcirco ab auctore ſuo non recognoſcitur, quia legis obſervationem tenens ſpiritalem intellectum perdidit, et ſe ad cuſtodiam literæ foris fixit." Perinde eſt diſcrimen, quod animadvertit inter fratrem, aut ſororem, et matrem Chriſti ea in allegoria: „quia qui Chriſti frater et ſoror eſt credendo, mater fit prædicando. Quasi enim parit Dominum, quem cordi audientis infuderit. Et mater eius efficitur, si per eius

a) *Lib. I. Hom. III. in Evang. T. I. p.* 1444.

Caput LXIII.

vocem amor Domini in proximi mente generatur. “ Idem discrimen obſervat S. Thomas; cæterum vero pauciſſimis verbis omnium hic altiſſime aſſurgit in eamdem Chriſti ſententiam: „ Habebat enim, inquit *a*), generationem cœleſtem, et temporalem: unde præponit cœleſtem temporali. Illi enim, qui faciunt voluntatem Patris mei, illi attinent ei ſecundum generationem cœleſtem. “

Porro, quod B. M. V. attinet, dum illa, perinde ac aurora, quæ ſolem parit, et ipſa ſolis filia, virgo ſcilicet Deipara ſimul etiam æterni Patris ſit nobiſcum filia, quis ei non primum præcipuumque locum inter Chriſti fratres, ſorores et matres tribuat? Quæ ab angelo *Ave gratia plena*, *Dominus tecum* ſalutatur: et ab Eliſabeth: *Benedicta*, prædicatur, *inter mulieres;* et: *Beata*, *quæ credidiſti:* et ipſa de ſe humilis *ancilla Domini* profitetur: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*

a) *In Matth. C. XII. T. III. p.* 173.

CAPUT LXIV.

PARABOLÆ DE REGNO DEI PRÆSENTIS TEMPORIS ECCLESIA.

Locutus est eis multa in parabolis, dicens: *Ecce exiit, qui ſeminat etc.* Matth. XIII. 3.

Quid est quod incipiat iam loqui Christus ad turbas in parabolis, qui tam aperte et ſine omni involucro ſermone in monte doctrinam ſuam proposuerat? Interrogaverunt hoc discipuli Christum, cur in parabolis eis loqueretur. *Ideo*, respondet, *in paraboiis loquor eis: quia videntes non vident, et audientes non audiunt, neque intelligunt.* Experimentum hoc dederunt cæci et ſurdi ad ſermonem in monte, præiudiciis animum occupatum habentes. Nempe doctrinam illam ferre non poterant, qua beatos pauperes, lugentes, persecutionem patientes etc. prædicaverat; multas traditiones, quibus legem corruperant, reiecerat, de perfectione legis, ipsis paradoxa proposuerat. Jam aliam docendi rationem init in parabolis, quod apud Judæos erat frequentissimum. Hinc Evangelium veluti de novo auspicatus infit: *Ecce exiit, qui ſeminat etc.* ſuam miſsionem a Patre e cœlis adventumque in mundum ad ſeminandam doctrinam ſalutis,

Cur Christus Judæis in parabolis loquitur.

Parabola ſeminantis.

CAPUT LXIV. constituendumque agrum dominicum Eccleſiam tam ſimpliciter, et native uno veluti verbo: *Exiit* (cui alterum ad attentionem movendam præmittitur *Ecce*) denunciat. Quid autem accommodatius Judæis eſſe tunc poterat hac parabola, cum dicit quædam cecidiſſe ſecus viam, vel in ſpinas, quæ omnia in ipſos cadebant, prout poſtea diſcipulis explicat parabolam; quæ veluti compendium quoddam hiſtoricum ſunt eorum, quæ in prædicatione Evangelii tunc contigerant circa Judæos, qui verbum Dei audierant, et non intelligebant: dura ac veluti petroſa pectora habebant: ſollicitudo vero huius ſæculi fallaciaque divitiarum erant, quæ ipſi in ſuo Meſſia præſtolabantur, regem nempe toto orbe dominaturum: regnum autem in proſperitate temporali, deliciis, divitiis, omnique felicitate rerum huius vitæ abundans ſibi ſomniabant toto cœlo diverſum ab eo, quod Chriſtus denunciabat.

Eſt hoc, quod primum in explicatione parabolæ vocat *verbum regni*; et ſicut in cæteris parabolis Matth. XIII. XXII. XXV. atque apud alios evangeliſtas iis ſe accommodans, qui regnum Meſſiæ exſpectabant, regnum vocat præſentis temporis Eccleſiam; regnum autem cœlorum dicit propter Evangelium ſeu ſpem vitæ æternæ, mira-

bili iterum modo duobus verbis id omne complexus, quare relicto ſinu Patris carnem indutus factusque fuerit homo, ut nos ad cœlestia vitamque æternam revocaret, constitueretque hæredes regni cœlorum. CAPUT LXIV.

Sequitur parabola zizaniorum. Quamprimum Deus in paradyso ceu agro ſuo hominem constituerat, ſtatim inimicus homo zizania ſuperseminavit, *zizania autem*, ait, *ſunt filii nequam*, nec cessant usque ad consummationem ſæculi in Ecclesia: quos nimirum Deus relinquit et tolerat ad exercitationem bonorum, et patienter ad emendationem exspectat. Angustiantur quidem hinc ac offenduntur zizaniis istis fideles ſervi Domini; accedentesque (Matth. XIII. 28.) *dixerunt ei: Vis, imus, et colligimus ea? Et ait: Non: ne forte colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis et triticum.* Nempe, ut diximus, conferunt ad exercitationem bonorum. Neque enim ferret Deus malum, nisi ſciret inde facere bonum: neque ſustineret malos, nisi proficerent inde boni. Quippe non essent e. g. martyres nisi forent persecutores: et nisi essent vitiosi, virtus marcesceret. Nisi in maligno positus esset mundus, non apparerent, qui de mundo non ſunt, nec victores mundi in Christo, nec victoriæ corona. Nisi venirent flumina, flarent venti hæresum, ſchiſ-

Caput LXIV. matum, aliorumque ſcandalorum (*Neceſſe eſt enim ut veniant ſcandala* Matth. XVIII. 7.) quomodo Eccleſiam ſupra firmam petram eſſe fundatam constaret? aut ſine continuis colluctationibus quomodo ſeſe eam commonstraret, contra quam portæ inferi non prævalebunt? Atqui hæc erit conditio Eccleſiæ militantis usque ad conſummationem ſæculi: quando *mittet filius hominis angelos ſuos etc.*

Sic regnum Christi ſuo ſanguine comparatum, perſecutionibus adoleſcens perennabit in hoc mundo maligno, civitate diaboli hostis irreconciliabilis civitatis Dei, Eccleſiæ Christi, ad cuius propagationem ſingulariter pertinet, mox ſequens de grano ſinapis parabola, cuius et alterius de fermento cum proxime antecedentibus de ſemine nexum concinne deſcribens S. Jo. Chryſostomus: „Quia enim, inquit *a*), dixit ex ſemine tres partes perire, unamque ſervari: et in hac quoque ſervata parte tot tantaque imminere detrimenta; ne dicerent: Et quinam quantoque numero fideles erunt? Hunc quoque metum aufert; illos per parabolam ſinapis ad fidem adducens, ostendensque prædicationem ubique pervaſuram eſſe. Ideo oleris imaginem in medium adduxit huic argumento admodum

a) *Hom. XLVI. in Matth. T. VII. p.* 483.

opportunam: *Quod minus eſt*, inquit, *omnibus ſeminibus; cum autem creverit, maius eſt omnibus oleribus, et ſit arbor, ita ut volucres cœli veniant, et in ramis eius habitent.* Magnitudinis enim indicium declarare voluit. Sic, inquit, et in prædicatione erit. Nam omnium infirmissimi erant discipuli, omniumque minimi. Attamen quia magna in ipsis virtus erat, per totum orbem effusa eſt. Deinde ſub hac imagine fermentum posuit, dicens; *Simile eſt regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum.* Sicut enim fermentum multæ farinæ vim ſuam indit; ſic et vos totum mundum convertetis. Et vide prudentiam! naturæ imagines affert, quo oſtendat, ut hæc ſecundum naturalem rerum ſeriem necessario ita fiunt, ſic et iſta. Ne mihi dixeris, quid poterimus duodecim homines in tantam multitudinem incidentes? Nam idipsum maxime virtutem veſtram ſplendidam reddit, quod multitudini admixti non fugiatis. Quemadmodum et fermentum tunc maſſam fermentat, cum farinæ admovetur. Nec modo admovetur, ſed ita ut misceatur; non enim ſimpliciter dixit, posuit, ſed *abſcondit.* Sic et vos agglutinati et iuncti cum impugnantibus vos, ipsos ſuperabitis. Et ſicut illud obruitur in maſſa, ſed non perditur, ſed paulatim toti maſſæ vim ſuam indit; idipsum in prædicatio-

Caput LXIV. ne continget. Ne itaque, quia multas ærumnas prædixi, ideo timeatis: nam ſic ſplendidi eritis et omnia ſuperabitis." Adhuc ſublimius S. Isidoro Pelusiotæ fermentum est incarnatio Verbi divini: „Quæ, inquit *a*), universum terrarum orbem conspersit: et unius corporis ex nostra ſubstantia, atque a Dei genitrice Maria ſumti coagmentatione, quæ homines omnes, qui ab orbe condito extiterunt, ad novum ortum renovavit." Et S. Hilarius in hanc parabolam de fermento: „Huic, inquit *b*), se Dominus comparavit, *quod acceptum mulier*, ſynagoga ſcilicet per iudicium mortis *abscondit*." Sic etiam thesaurum in agro absconditum, *quem qui invenit, vendidit omnia quæ habuit, et emit agrum illum*, Christum in carne intelligit, „quem, inquit *c*), invenisse est gratuitum. Evangeliorum prædicatio in absoluto est, ſed utendi et possidendi huius thesauri cum agro potestas non potest esse ſine pretio, quia cœlestes divitiæ non nisi damno ſæculi possidentur." Eadem est ratio proximæ parabolæ, qua regnum cœlorum ſimile esse dicitur homini negotiatori quærenti bonas margaritas, quas S. Hieronymus legem et prophetas intelligi posse dicit in h. l. Legem autem gratiæ unam illam pretiosam; omnium vero harum parabolarum conve-

a) *Lib. I. Epist.* 201. *p.* 59. *b*) *Comment. in Matth. c.* 13. *n.* 5. *p.* 676. *c*) *Num.* 7.

pientiam explicans S. Jo. Chryſostomus, „Nam, inquit *a*), illic per utrumque hoc ſignificatur, oportere prædicationem omnibus anteponere. Et illæ quidem fermenti, et ſinapis parabolæ, ad vim prædicationis pertinent, ipsamque totum orbem ſuperaturam indicant: hæ autem duæ parabolæ eius pretium et dignitatem declarant. Extenditur quippe illa ut ſinapi, ſuperat ut fermentum, pretiosa est ut margarita, innumera præbet commoda, et ornatur ut thesaurus. Neque id ſolum hic discimus, omnibus se exuere par esse, ac prædicationi inhærere; ſed etiam id cum gaudio esse faciendum. Certe is qui omnibus renunciat, ſciat oportet, rem illam esse negotiationem, non iacturam . . . Deinde nè prædicationi tantum fidamus, neve putemus ſolam fidem ad ſalutem nobis ſufficere, aliam terribilem affert parabolam. Quænam illa est? *ſagenæ parabola, missæ in mare, et ex omni genere piscium congregantis* bonos et malos, electos et reprobos, ut ipse Dominus explicat: *Sic erit in consummatione ſeculi, exibunt angeli et ſeparabunt malos de medio iustorum, et mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus, et ſtridor dentium.*"

a) *Hom. XLVII. n.* 2. *p.* 489.

Caput LXV.

CAPUT LXV.

APOSTOLORUM SIMPLEX PRUDENTIA.

Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum. *Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, et ſimplices ſicut columbæ.* Matth. X. 16.

Prudentia ſerpentina, ſimplicitas columbina.

Dum dicit Christus mittere se discipulos ſuos ſicut oves, ſuum tacite insinuat exemplum, qui tanquam ovis ductus est ad victimam demonstratus a Joanne baptista: *Agnus, qui tollit peccatum mundi*, quod astutia ſerpentina in paradyso mundo illatum est *a*). Quam est hæc admirabilis rerum conversio, dispositioque divina, ut illis quos Christus misit ad Evangelium gratiæ ſalutarisque medicinæ prædicandum, contra mortalem ſerpentis ictum præscriberetur ſerpentis prudentia ſed cum temperamento ſimplicitatis columbinæ coniuncta. *Eſtote φρόνιμοι prudentes* non calliditate ſeu astutia ſerpentum, *et ſimplices ἀκέραιοι* ſinceri, innocui, a dolo et fraude immunes: ita prudentes, ut ab aliis non fallamini; ita ſimplices, ut vos non fallatis, ſeu prout D. Paulus instruit: *Volo vos ſapientes esse in bono, et ſimplices in malo b*). Temperamentum

a) *Gen. III.* 1. *b*) *Rom. XVI.* 19.

autem illud prudentiæ ſerpentinæ, et ſimplicitatis columbinæ ex verbis Christi aptiſsime explicat S. Hilarius: „Diſsidentium, ait *a*), a ſe animantium ineſse nobis voluit naturam: ſed ita, ut ſerpentinam prudentiam columbæ ſimplicitas temperaret, et ſimplicitatem columbæ prudentia ſerpentis inſtrueret; fieretque et ſimplex ſapientia, et ſapiens ſimplicitas.“ Adhuc clarius mentem Christi exponit Gregorius Nazianz. in hanc ſententiam: „Nam ſerpentis prudentiam ad malum, columbæ ſinceritati ad bonum admiſcendo, neque prudentiam ſivit eſse malitioſam, neque ſimplicitatem fieri amentem, ſed unam virtutis formam, quam maxime licuit, ex ambobus exquiſite conſtituit *b*).“ Apud Corderium in catena Græc. PP. in S. Lucam Geometra in Prov. rem omnem adhuc explicatius ediſserit: „Illud autem, inquit *c*), *eſtote prudentes ſicut ſerpentes*, idem eſt, ac ſi dicat, nolite ſerpentum verſutiam ignorare; illa enim nobis prorſus neceſsaria eſt, ſicut apoſtolus dixit, ne a ſatana circumveniamur, ac ſuperemur, cuius tam perverſas ſcimus eſse cogitationes, ut prudentia ſerpentina deſtitutos calliditate ſua facile ſupplantet.“ Alludit ad locum apoſtoli II. Cor. XI. 3. *Timeo autem, ne ſicut ſerpens Evam ſeduxit*

a) *Lib. de Synodis n.* 23. *p.* 1165. *b*) *Orat. XIX. de Patre.* *c*) *In cap. XVI. n.* 9. *p.* 397.

Caput LXV.

astutia ſua, ita corrumpantur ſensus veſtri, et excidant a ſimplicitate, quæ est in Christo. Quibus verbis notantur, qui Pauli prædicationem pervertere nitebantur apud Corinthios, ut hæretici in Ecclesia, *lupi rapaces, non parcentes gregi*, de quibus idem attentos facit maiores natu Ecclesiæ Ephesinæ Act. XX. 29. et Christus Matth. VII. 15. *Qui veniunt ad vos*, ait, *in veſtimentis ovium, intrinsecus autem ſunt lupi rapaces.*

Passim hic SS. Patres prudentiam ſerpentinam quæ in periculis, ad caput in tuto ponendum, totum corpus exponat, explicant, caput Christum, vel quod perinde est, fidem in Christum accipiendo: veluti S. Jo. Chrysostomus in hunc locum: „Sic et tu, inquit *a*), excepta fide omnia trade, pecunias, corpus, imo ipsam animam. Fides enim caput est et radix: illaque ſervata etiamsi omnia amiseris, omnia postea abundantius recuperabis. Ideo non ſimplicem tantum, nec prudentem ſolum esse præcepit, ſed hæc ambo miscuit; ita ut hæc virtus vere ſint; prudentiamque ſerpentis assumsit, ut ne lethalia vulnera accipias; ſimplicitatem vero columbæ, ut ne lædentes te ulciscaris, neque insidiantes per vindictam amoveas: nihil enim prodest prudentia, nisi hoc adsit." Succinit pro more

a) *Hom. XXXIII. in Matth. n. 2. T. VII. p. 379.*

Theophilactus, ut tamen ad explicationem illam a nobis allatam propius accedat: „Quia, inquit *a*), et ſerpens nocivus est, iubet nos ſimplices esse, hoc est, ſinceros, et absque malitia, nullumque offendentes, ſicut columbæ: illæ enim cum auferuntur eis fœtus, et persecutionem patiuntur, rursus ad dominos ſuos redeunt.“ Attingit etiam illud, quod de ſerpente fertur per foramen pellem veterem deponente, cuius exemplo per angustam portam incedentes, veterem hominem, quem ab astutia ſerpentis antiqui accepimus, deponamus. S. Augustinus Lib. II. de Doctrina Christi, de ſignis ſimilitudinibusque rerum in Scriptura ſacra occurrentibus notitiaque linguarum et rerum ad eas explicandas necessaria verba faciens: „Nam et de ſerpente, inquit, n., 24. *b*), quod notum est, totum corpus eum pro capite obiicere ferientibus, quantum illustrat ſensum illum, quo Dominus iubet astutos nos esse ſicut ſerpentes, ut ſcilicet pro capite nostro, quod est Christus, corpus potius persequentibus offeramus, ne fides christiana tanquam necetur a nobis, si parcentes corpori negemus Deum. Vel illud quod per cavernæ angustias coarctatus, deposita veteri tunica, vires novas accipere dicitur, quantum concinit ad imitandam

CAPUT LXV.

a) *Comment. in Matth. Cap. X. Tom. I. p.* 48.
b) *Tom. III. p.* 29.

CAPUT LXVI. ipſam ſerpentis aſtutiam, exuendumque ipſum veterem hominem, ſicut apoſtolus dicit, ut induamur novo; et exuendum per anguſtias, dicente Domino: *Intrate per anguſtam portam.*" Hæc vero qualiacunque ſint, nihil una brevi hac incomparabili ſententia: *Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, et ſimplices ſicut columbæ*, eſſe poteſt adæquatius ad omnem humanam converſationem moderandam in hoc mundo; ne nos ab eo decipiamur, illaqueemurque oves in medio luporum, dum lupus lupo eſt lupus, vulpes vulpi.

CAPUT LXVI.

SEPARATIO A NECESSARIIS.

Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: *non veni pacem mittere, ſed gladium.* Veni enim ſeparare hominem adverſus patrem ſuum, et filiam adverſus matrem ſuam, et nurum adverſus ſocrum ſuam: et *inimici hominis domeſtici eius etc.* Matth. X. 34. etc.

Ob Evangelium. Quam breviter, ac ſimpliciter hic omnia ea una ſententia complexa legimus, quæ accidere debebant iis, qui ſecuti Dominum imprimis quidem apoſtoli, in formanda

Eccleſia. Primis diſcipulis Domini in Judæa inimici domeſtici fuerunt cum primis parentes, fratres, ſorores, uxores, filii, filiæ. Univerſim vero tamdiu usque ad conſummationem ſæculi ſunt, èruntque *inimici hominis domeſtici eius*, caro et ſanguis, et ſibiipsi quisque; quamdiu pugna eſt eritque inter carnem et ſpiritum. Caput LXVI.

Quam plurima ſunt in Evangelio a Chriſto plane, et aperte dicta, ac prædicta, ſed admirabili verborum temperatione, ne absterrerentur rudes, et necdum afflatu Spiritus ſancti roborati diſcipulorum animi. Inter ea ſunt referenda, de quibus morti proximus Chriſtus apoſtolis dixit: *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo.* Id vero quam maxime mirandum eſt, quod nec ſenſerint ea circa ſe fieri, ad eorum, quæ prædixit futura, complementum: veluti illud, quod apoſtoli tunc, quando hæc dicebat, iam omnia propter Chriſtum, eum ſecuti, reliquerint etc. *a*) de quo interrogatus a Petro Chriſtus, eadem in reſponsis tulit mitiori ſententia, quæ hic Matth. X. dicuntur: illic his verbis: *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros;* hic autem veniſſe

a) *Matth. XIX.* 29.

CAPUT LXVI.

ſe dicit ſeparare hominem adverſus patrem ſuum etc. Paulo ante Matth. X. 21. Chriſtus, quid futurum ſit diſcipulis denunciaverat: *Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium: et inſurgent filii in parentes, et morte eos afficient.* Eousque inimici erant homini domeſtici eius. Atque in hoc diſcrimine cavendum cumprimis erat, quod mox ſequitur: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non eſt me dignus: et qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus.* Et alibi quod idem eſt: *Qui non odit patrem, et matrem, et filios, ... adhuc autem et animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus a).* Quæ omnia præ oculis habens Clemens Alex. „At, inquit b), neque hoc vos turbet, nec quod adhuc durioribus verbis alio loco editum eſt: *Qui non odit etc.* Non enim præcepit odium et divortium a cariſſimis Deus pacis, qui et inimicos diligere iubeat. Quodſi inimici diligendi ſunt, pari etiam ratione ab eis aſcendendo, qui ſunt genere coniunctiſſimi, aut ſi odio habendi affines et cognati, potiori iure reiiciendos inimicos, deſcendendo ratio edocet. Proinde alia aliam ſententiam liquido deſtruit. At non invicem deſtruunt, neque ulla re adverſantur, aut ne prope deſtruunt. Ex eodem quippe affectu et animo, eademque regula patrem odio habeat amando inimi-

a) *Luc. XIV. 26.* b) *Quis dives ſalvetur n. 22.*

eum, qui nec inimicum ulciſcatur, neque patrem plus Christo vereatur. In illo quidem verbo odium reſecat, et voluntatem inferendi mala, in hoc vero nimiam in coniunctos reverentiam, dum hæc ſaluti officiat. Si ergo infidelis cuipiam pater, aut filius, aut frater extiterit, atque horum quilibet fidei vitæque in cœlis conſequendæ impedimentum præstiterit, huic ne conſentiat, aut cum illo concordiam habeat, ſed ſpiritalis inimicitiæ cauſa carnalem neceſſitatem diluat." S. Jo. Chryſostomus in illa Christi verba: „*Nolite putare, quia venerim pacem mittere in terram etc.* Rurſum oneroſiora, ait *a*), profert, idque cum magna auctoritate: quodque alii obiecturi erant, ille prædicit. Nam ne iis auditis dicerent: Ideone veniſti, ut nos interficias cum iis, qui nobis obſequuti ſunt, et bellis terram repleas? ipſe prior dicit: *Non veni pacem mittere in terram.* Cur ergo præcepit in domos ſingulas ingreſſos pacem dicere? Cur et angeli dicebant: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax?* Cur prophetæ omnes idipſum prænunciarunt? Quia illud maxime pax est, cum id, quod ægrotat, abſcinditur, quando id, quod diſſidet, ſeparatur. Sic enim poterit cœlum cum terra iungi."

a) *Hom. XXXV. in Matth. X.* 34. *T. VII. p.* 397.

S. Auguſtinus etiam id *a)*, quod S. Chryſostomus, et paſſim alii de igne charitatis, intelligit, *ignem veni mittere in terram*, perinde hic accipit ac gladium. „Sic ignem, inquit *b)*, quomodo gladium: nam et quodam loco, ait, *non ſe veniſſe pacem mittere, ſed gladium.* Gladium ad ſeparationem, ignem ad uſtionem, ſed utrumque ſalubrem, quia et gladius verbi ipſius ſalubriter nos ſeparavit a conſuetudine mala. Gladium enim attulit, et ſeparavit unumquemque fidelium, aut a patre ſuo, qui in Chriſtum non crediderat, aut a matre ſimiliter infideli; aut certe si de parentibus chriſtianis natus eſt, ſaltem a progenie ſua priore." Breviter et generalius Jo. Climacus in ſcala paradiſi *c)*, „ut ſeparem cultores Dei, ab amatoribus mundi, terram a cœlo, ſuperbos a ſubmiſſis. Delectatur enim Dominus hac diſſenſione, et ſeceſſione ſua cauſa facta."

Pulchre, et apposite admodum S. Gregorius M. odium hoc aliorum et noſtri ipſorum quomodo charitas ſit, ex præcepto amandi proximum ſicut ſeipſum explicat: „Ut autem, inquit *d)*, Dominus demonſtraret hoc erga proximos odium non de inaffectione procedere, ſed de charitate, addidit

a) *Hom. VI. in Matth. n.* 4. *et* 5. *T. VII. p.* 94.
b) *Enarrat. in Ps. XCVI. n.* 7. *T. IV. p.* 1044.
c) *Grad. III. p.* 32. d) *Lib. II. Hom. XXXVII. n.* 2. *T. I. p.* 1628.

protinus dicens: *Adhuc autem et animam ſuam a)*. Odiſſe itaque præcipimur proximos, odiſſe et animam noſtram. Conſtat ergo quia amando debet odiſſe proximum, qui ſic eum odit, ſicut ſemetipſum. Tunc etenim bene noſtram animam odimus, cum eius carnalibus deſideriis non acquieſcimus, cum eius appetitum frangimus, eius voluptatibus reluctamur. Quæ ergo contemta ad melius ducitur, quaſi per odium amatur. Sic nimirum exhibere proximis noſtris odii diſcretionem debemus, ut in eis et diligamus, quod ſunt, et habeamus odio, quod in Dei nobis itinere obſiſtunt." S. Laurentius Juſtinianus in libro *de caſto connubio verbi et animæ* nos verbis his Chriſti: *Non veni pacem mittere ſed gladium* ad ſpiritualem pugnam animat cap. 8. „Concitavit bellum, inquit *b)*, ut ſeparentur ab invicem, qui se inordinate diligunt: ut contra vitia pro amore virtutum dimicent, qui ipſum habere peroptant: ut temporalia pro æternis relinquant, qui felicitatis ſupernæ cupiunt eſſe participes. In ſtadio nos conſtituit, pugnandi neceſſitatem indixit, certaminis noſtri se iudicem fecit, vincenti coronam propoſuit etc."

a) Luc. XIV. 26. *b) T. I. Opp. p. 189.*

CAPUT LXVII.

CARO CHRISTI VERE EST CIBUS, ET SANGUIS EIUS VERE EST POTUS.

Ego ſum panis vitæ. Patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, et mortui ſunt. Hic est panis de cœlo deſcendens: ut si quis ex ipſo manducaverit, non moriatur. *Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Jo. VI. 48. etc.

Verbum incarnatum panis vitæ.

„Jam [inquit S. Jo. Chryſoſtomus in h. l. *a*)] in myſteriorum traditionem venturus eſt. Et primo de divinitate ſua diſputat dicens: *Ego ſum panis vitæ.* Neque enim hoc de corpore dictum eſt. De illo in fine loquitur: *Et panis, quem ego dabo, caro mea eſt;* ſed adhuc de divinitate agit. Etenim ille propter Deum Verbum panis eſt, quemadmodum hic propter advenientem Spiritum panis cœleſtis efficitur." Brevi hac ſententiæ periodo S. doctor complexus eſt ſublimiſſimam Chriſti Domini doctrinam, quæ continetur capite ſexto Evangelii

a) *Hom. XLV. alias XLIV. in Jo. n. 2. T. VIII. p.* 263.

S. Joannis, eſtque continuatio cœleſtis ac divinæ theologiæ, a qua evangelium ſuum auſpicatur, Verbi divinitatem ab æterno eiusque incarnationem in tempore nobis explicans; hoc autem capite ſexto, quid ex hoc myſterio incarnationis in nos redundet, explanat. Occaſionem huic ſermoni dederunt Judæi a Chriſto panibus ſaturati in deſerto: et hinc eum volebant facere regem, cumque fugeret, ſollicite inquirebant eum: *Respondit eis Jesus, et dixit: Amen, amen dico vobis: quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus, et ſaturati estis a).* Volebat Chriſtus mentes eorum a ſenſibilibus iſtis ad fidem in ſeipſum elevare. Impudentes autem illi adhuc ſignum poſtulabant: *Quod ergo tu facis ſignum, ut videamus, et credamus tibi? quid operaris? Patres noſtri manducaverunt manna in deſerto, ſicut ſcriptum eſt: Panem de cœlo dedit eis manducare b).* Quaſi vero parum eſſet, quod Chriſtus ſemel aliquot millia hominum cibaſſet, cum Moyſes tot centena millia in deſerto quadraginta annis paviſſet: volunt Moyſen præ Chriſto extollere. *Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: Non Moyſes dedit vobis panem de cœlo, ſed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis enim Dei eſt, qui de cœlo deſcendit, et dat vitam mundo c).* Adhuc illi de manna ſom-

a) *Joan. VI. 26.* b) *Ib. 30.* c) *Ib. 32.*

Caput LXVII.

niant, et corporali cibo inhærent. *Dixerunt ergo ad eum: Domine, ſemper da nobis panem hunc. Dixit autem eis Jesus: Ego ſum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet: et qui credit in me, non ſitiet unquam a).* Hoc iam est, quod concoquere non poterant: *Murmurabant ergo Judæi de illo, quia dixisset: Ego ſum panis vivus, qui de cælo descendi b).* At hoc ipsum est, quod deinceps tam ſæpe repetit: ac primum quidem, ut illos ad credendum inducat, se non merum hominem esse, ſed de cœlo descendisse ad ſalvandos in vitam æternam homines, æterni Patris Filium: *Hic est panis de cælo descendens: ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Ego ſum panis vivus, qui de cælo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita c).*

Corpus et ſanguis Christi in Eucharistia.

Paulatim procedit oratio, velamen panditur ſanctuarii ad revelandum tremendum mysterium, ac mensam mysticam, in qua Christus ipse ſumitur. Duo nobis pandit divinus evangelista Joannes mysteria æque ſublimia, æque adoranda: Filium Dei descendisse de cœlo in terram ad nos, nostramque assumsisse carnem: alterum, carnem hanc panem esse pro mundi vita. Nec magis clare et expresse, inculcatur Verbum

a) *Joan. VI.* 34. b) *Ib.* 41. c) *Ib.* 50.

eſſe caro factum, quam eius carnem eſſe edendam, et ſanguinem bibendum: opusque redemtionis noſtræ per incarnationem inchoatum, conſummatur per Eucharistiam: utque per admirabilem operationem Spiritus S. Maria virgo in utero concepit Verbum divinum, perinde quotidie concipitur et paritur ſuper altari: nec in nos venire horret, qui non horruit virginis uterum. Credidit, beata quia credidit, virgo angelo annuntianti; et nos non credamus ipſi Filio Dei tam ſæpe et aperte rem aſſeveranti? quin cum Petro confidenter dicamus: *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes a).* Refragantur quidem ſenſus, obſtupeſcit natura: *Litigabant ergo Judæi ad invicem dicentes: Quomodo poteſt hic nobis dare carnem ſuam ad manducandum?* At manet ſententia Salvatoris: et quod dictum eſt de manducando et bibendo a fidelibus corpore et ſanguine, non ſolum ſæpe repetita aſſeveratione confirmatur, verum etiam a Christo ſolito ſuo duplici iuramento aſſeritur: *Dixit ergo eis Jeſus: Amen, amen dico vobis: Niſi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis b).* Sic porro dicit: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: et ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die c) .... In me manet, et ego in illo d).* Ad quæ

a) *Jo. VI.* 69. b) *Ib.* 54. c) *Ib.* 55. d) *Ib.* 57.

CAPUT LXVII.

verba S. Cyrillus Alex. „Hic enim, ait *a*), animadvertere operæ pretium eſt, Chriſtum non dicere ſe duntaxat in nobis futurum ſecundum relationem quamdam affectualem, ſed et per participationem naturalem. Ut enim ſi quis ceram ceræ indutam igne ſimul liquaverit, unum quid ex ambobus efficit, ita per corporis Chriſti, et pretioſi ſanguinis participationem ipſe quidem in nobis, nos autem in eo ſimul unimur. Nec enim aliter vivificari poteſt, quod natura ſua corruptibile, quam corporaliter unitum ſit corpori eius, qui ſecundum naturam ſuam eſt vita, hoc eſt unigeniti.“ Altius adhuc ſublimiusque effert, ac ducit participantem divina corporis et ſanguinis Domini myſteria cognominis S. Cyrillus Hieroſol. in Catecheſi myſtagogica quarta n. 3. „Ut, inquit, cum ſumſeris corpus et ſanguinem Chriſti, concorporeus et conſanguis ipſi efficiaris. Sic etenim Chriſtiferi efficimur, diſtributo in membra noſtra corpore eius et ſanguine. Sic iuxta beatum Petrum divinæ ſimus conſortes naturæ.“ Et ante hos S. Irenæus Epiſc. et Martyr: „Quando ergo, ait *b*), et mixtus calix et factus (al. fractus) panis percipit verbum Dei, et fit Euchariſtia ſanguinis et corporis Chriſti, ex quibus augetur, et conſiſtit carnis noſtræ ſubſtantia; quomodo carnem negant

a) *Lib. X. in Joan. c. 2. T. IV. p.* 862.
b) *Lib. V. contra hæres. c. II. n. 3. p.* 294.

capacem esse donationis Dei, quæ est vita æterna, quæ ſanguine et corpore Christi nutritur, et membrum eius est? Quemadmodum et beatus apostolus ait in ea, quæ est ad Ephesios epistola: *Quoniam membra ſumus corporis eius, de carne eius, et de ossibus eius:* non de ſpirituali aliquo et invisibili homine dicens hæc (*ſpiritus enim neque ossa, neque carnes habet*) ſed de ea dispositione, quæ est ſecundum verum hominem, quæ ex carnibus, et nervis, et ossibus consistit: quæ de calice, qui est ſanguis eius, nutritur, et de pane, quod est corpus eius, augetur. Et quemadmodum lignum vitis depositum in terram ſuo fructificat tempore, et granum tritici decidens in terram, et dissolutum, multiplex ſurgit per Spiritum Dei, qui continet omnia: quæ deinde per ſapientiam in usum hominis veniunt, et percipientia Verbum Dei Eucharistia fiunt, quod est corpus et ſanguis Christi: ſic et nostra corpora ex ea nutrita, et reposita in terram, et resoluta in ea, resurgent in ſuo tempore Verbo Dei resurrectionem eis donante in gloriam Dei Patris." Agit hic S. Martyr contra hæreticos perinde resurrectionem carnis ac corpus et ſanguinem Christi in Eucharistia abnegantes, quos iam S. Ignatius Ep. et M. in epistola ad Smyrnæos notavit n. 7. „Qui ergo, ait, contradicunt huic dono Dei

CAPUT LXVII. altercantes moriuntur. Utile autem eſſet ipſis diligere, ut et reſurgerent," beata nimirum illa reſurrectione quam Chriſtus participibus ſacramenti euchariſtici promittit: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: et ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die. Caro enim mea, vere eſt cibus: et ſanguis meus, vere eſt potus. Qui manducat meam carnem, et bibit meum ſanguinem, in me manet, et ego in illo a)*, qui eſt omnium maximus ac ineffabilis huius participationis ſeu communionis dominicæ fructus; qui ut perennaret, Chriſtus, cum in ultima cœna inſtituiſſet ſacramentum hoc ac ſacrificium, pro apoſtolis, postquam primum illis manducandum et bibendum ſuum dediſſet corpus et ſanguinem, rogavit Patrem, *ut ſint unum ſicut et nos b)*. Et mox, *non pro eis autem rogo tantum, ſed et pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me: ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipſi in nobis unum ſint etc. c)* Quod præ oculis habens apoſtolus: *Quoniam*, ait *d)*, *unus panis, unum corpus multi ſumus, omnes, qui de uno pane participamus.* Quam fidelium, ex participatione corporis et ſanguinis Domini, communionem præ oculis habentes veteres, cum ad abſentes quoque mitteretur, ut S. Juſtinus in apolo-

a) *Jo. VI.* 55. b) *Ib. XVII.* 11. c) *Ib.* 20.
d) *I. Cor. X.* 17.

gia, et uſus etiam proximorum ſæculorum testatur, placuit fermentum (ut ex decretis Melchiadis, Siricii, et Innocentii PP. Rom. palam fit) vocare Eucharistiam (quæ fermenti instar fidelium unionem foveat) mystico intellectu, non vero, quod in pane fermentato conſecrata fuerit, ut Mabillonius ſingulari diſſertatione *de Azymo et Fermentato* tum etiam præfatione in ſæc. III. Ord. S. Bened. demonstravit, ab ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio latinos azymis uſos fuiſſe in Eucharistia; ſed tum ex iam notata ratione mystica, ut eccleſiis ad quas mittebatur, fermenti instar eſſet unionis inter fideles, veluti fermentum maſſæ panis commixtum: tum etiam ad tegendum profanis rei ſacræ arcanum pro more illorum temporum, quem Schelstratius ſingulari opere *de diſciplina arcani* c. 7. demonstravit. CAPUT LXVII.

Rem vero ipſam quod attinet, quid apertius, quid diſſertius, aſſertiusque eſſe poſſit illa Christi ſententia: *Caro mea, vere eſt cibus: et ſanguis meus vere eſt potus.* Ad quæ verba „quid ſibi vult illud? quærit S. J. Chryſostomus in h. l. *a*) Aut vult ſignificare, hunc eſſe vere cibum, qui animam ſervet; aut vult dictis ſuis fidem facere, ne putent id quod dictum fuit, ænigma vel parabolam eſſe; ſed ſciant, oportere omnino corpus comedere.“

a) *Hom. XLVII. in Joan. n.* 1. *T. VIII. p.* 275.

Caput LXVII.

Quam ſententiam aliis verbis planius ſic exprimit S. Thomas in h. l. *a)* „Veritas autem oſtenditur, cum dicit: *Caro mea vere eſt cibus.* Poſſet enim aliquis credere, quod ea, quæ de carne dicta ſint et ſanguine, ænigma et parabola eſſent; et ideo hoc Dominus excludens dicit: *Caro mea vere eſt cibus;* quaſi dicat: Non intelligatis, quod figuraliter loquar; ſed ſecundum veritatem caro mea continetur in cibo fidelium, et ſanguis meus vere continetur in Sacramento Altaris.“ Subdit S. doctor in confirmationem verba inſtitutionis a Chriſto in ultima cœna, quæ non minus clara ſunt, et id iamiam faciendum, manducandum nimirum et bibendum proponunt, quod Chriſtus hic apud Joannem promittit: *Accipite, et manducate, hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti.* Nulla differentia eſt inter manducare carnem ſeu corpus, ac bibere ſanguinem Jo. VI. et Matth. XXVI. quam quod hic datur, quod illic promittitur; illic annuntiatur, quod hic inſtituitur: illic mens afficitur explicatione ſalutarium fructuum, dum hic res aſſerta ſimul percipitur: cæterum idem utrobique corpus, ad eandem ſanctificationem noſtram, quod conceptum eſt a virgine conſecratum verbis Chriſti: *Hoc eſt corpus meum* in altari, ac immolatum in cruce. An minus aperta

a) T. III. p. 580. Lect. VII. in cap. VI. Joan.

hæc est ſententia quam illa: *Et Verbum caro factum est?* „Quum igitur ipse pronuntiaverit, ſunt verba S. Cyrilli Hieroſolymitani *a*), et dixerit de pane: *Hoc est corpus meum*, quis audebit deinceps ambigere? Et quum ipse adſeveraverit, et dixerit: *Hic meus est ſanguis*, quis unquam dubitaverit, aiens non esse eius ſanguinem?" Et S. Jo. Chrysostomus: „Quoniam, ait *b*), Christus dixit: *Hoc est corpus meum*, obtemperemus, credamus, et ſpiritualibus oculis ipsum respiciamus. Nihil enim ſenſibile nobis Christus dedit; ſed rebus etiam ſenſibilibus omnia ſunt ſpiritualia." Pertinent hæc ad ſpiritualem manducandi et bibendi in ſacramento modum contra carnalem, quo etiam multi ex discipulis offenſi abierunt retro. *Multi ergo audientes ex discipulis eius, dixerunt: Durus est hic ſermo, et quis potest eum audire? Sciens autem Jesus apud ſemetipſum, quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis: Hoc vos ſcandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem, ubi erat prius? Spiritus est, qui vivificat: caro autem non prodest quidquam: verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus et vita ſunt* c).

Quod hic dicit Christus: *Si ergo videritis filium hominis ascendentem, ubi erat prius?*

a) *Catech. IV. Mystag. n.* 1. *p.* 320.
b) *Hom. LXXXII. in Matth. n.* 4. *T. VII. p.* 787.
c) *Joan. VI.* 61.

CAPUT LXVII. de corpore ſuo glorioso intelligendum est, quod assumturus in cœlum, tamen nobis ſpirituali quodam non Capharnaitico modo daturus erat manducandum in Eucharistia, corpus illud ſpirituale, de quo apostolus: *Si est corpus animale, est et ſpirituale, ſicut ſcriptum est: Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus in ſpiritum vivificantem a).* Et ita iuxta Christi effatum: *Spiritus est, qui vivificat: caro autem non prodest quidquam, verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus et vita ſunt.* Sic eos a carnali manducatione, qua caro, dentibus contrita in ore, in ventrem dimissa consumitur, ad ſpiritualem in ſacramento adducere vult, ſed carnaliter ſapientes novam difficultatem experiuntur verbis illis: *Si ergo videritis filium hominis ascendentem, ubi erat prius?* „Quid igitur? quærit hic S. Jo. Chrysostomus *b*), difficultates difficultatibus addit? Minime, absit; ſed doctrinæ magnitudine et copia ipsos allicere conatur." Doctrinæ autem magnitudo et copia tum in eo erat, quod fidem redeunti ad Patrem in cœlos utique detrectare non debeant, tum vero longe aliam de corpore ſuo glorificato opinionem habere, nec carnaliter de eius manducatione carnis ſentire, ac ſcandalizari, „ac si, ut cum D. Thoma loquar in h. l. eam ad

a) *I. Cor. XV.* 44. *b*) *Hom. XLVII. in Joan. n.* 2. *T. VIII. p.* 277.

litteram deberent comedere, ut carnes animalium, ſcandalizati ſunt: et hunc ſenſum removens dicit: *Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem* integro corpore, *ubi erat prius:* ſupple, nunquid dicetis, quod ſim daturus etiam vobis carnem meam ad manducandum, ut carnes animalium . . . Sed Dominus dicebat, daturum ſe eis ſicut ſpiritualem cibum, non quin fiat in Sacramento Altaris vera caro Chriſti, ſed quia quodam ſpirituali, et divino modo manducatur." Eodem modo poſtquam l. c. locutus fuiſſet S. Jo. Chryſoſtomus: „Et quomodo, addit, poterant, inquies, intelligere, quid eſſet carnem comedere? oportebat certe opportunum tempus exſpectare, et interrogare, nec deſiſtere." At ſecus accidit: *Sed ſunt quidam ex vobis, qui non credunt a)*, ait Chriſtus, et nos cum illo hodie gemimus: quærenti autem Chriſto: *Numquid et vos vultis abire b)?* cum Petro reſpondemus: *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Et nos credidimus, et cognovimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei.* Sufficit nobis ad credendum te dixiſſe, ad cognoſcendum vero doctrina nobis ab Eccleſia, quæ eſt columna veritatis, propoſita! Nec de potentia tua, quod poſſis nobis dare carnem tuam ad manducandum dubitamus, nec de Eccleſiæ

a) Joan. VI. 65. b) Ib. 68.

Caput LXVII. catholicæ conſenſu diffidimus, quam illa doctrinam ſemper tenuit, ac etiamnum tenet orientalis nobiscum Eccleſia, licet a multis ſæculis ab orbe Catholico ſciſſa, „quod panis, ſunt Theophilacti ſcriptoris græci Sæc. XI. verba *a*), qui a nobis in myſteriis manducatur, non eſt tantum figuratio quædam carnis Domini, ſed ipſa caro Domini. Non enim dixit: *Panis, quem ego dabo*, figura eſt carnis: ſed, *caro mea eſt*. Transformatur enim arcanis verbis panis ille per myſticam benedictionem, et acceſſionem ſancti Spiritûs in carnem Domini. Et ne quem perturbet, quod credendus ſit panis caro, etenim et in carne ambulante Domino, et ex pane alimoniam admittente, panis ille, qui manducabatur, in corpus eius mutabatur, et ſimilis fiebat ſanctæ eius carni, et in augmentum et ſuſtentationem conferebat iuxta humanum morem. Igitur et nunc panis in carnem Domini mutatur.“ Eſt hæc theologia a nobis ex S. Gregorio Niſſæno illuſtrata infra, atque *in theologia vet. et nova circa præſentiam Chriſti in Euchariſtia Cap.* 19.

a) *Comment. in Joan. c. 6. T. I. p.* 594.

CAPUT LXVIII.

MALA EX CORDE PROCEDUNT.

Non quod intrat in os, coinquinat hominem: ſed *quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.* Matth. XV. 11.

Paradoxum nobis videatur hoc dictum, qui ſentimus et agnoſcimus quovis momento experti miſeram ac deplorabilem noſtram conditionem ex peccato protoparentum noſtrorum ob eſum pomi vetiti; qui in os utique intrans inquinavit totum humanum genus. Explicatius ad rem, atque accommodate omnino pro conditione miſera humani generis ex prævaricatione Adæ, ubi Matthæus habet: *Quod intrat in os;* Marc. VII. 18. ponitur *omne extrinſecus introiens in hominem*, veterem nimirum hominem iuxta apoſtolum Eph. IV. 22. *qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris.* Hoc Phariſæi non attendentes non ſolum ſcandalizantur hoc ſermone, verum etiam apoſtoli ad eum ſtupent: quare Petrus, *ediſſere nobis*, ait, *parabolam iſtam.* Plura erant Judæis in veteri teſtamento ad edendum vetita: ex Actis autem apoſtolorum diſcimus, quæ hinc in primitiva Eccleſia natæ ſint controverſiæ ob legalia, ut vocant, quæ inter non

Adæ etiam exemplo.

CAPUT LXVIII. poſtremum locum huiusmodi vetiti cibi habebant; huc pertinet, dum in concilio Hieroſolymitano, de hac re habito, abſtinentia a ſanguine et ſuffocato, ne quid de idolothytis dicam, fuit imperata, uti deinceps etiam ab Eccleſia esus quorumdam, quibusdam temporibus, ciborum est interdictus.

Altius igitur nobis hic assurgendum est. Eo autem nos ducit Christi responſio ad interrogationem Phariſæorum: *Quare diſcipuli tui non ambulant iuxta traditionem ſeniorum, ſed communibus manibus manducant panem? At ille respondens, dixit eis: Bene prophetavit Iſaias de vobis hypocritis, ſicut ſcriptum est: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me a).* Hoc est igitur, quod Christus apostolis ediſſerendo parabolam dicit: *Abintus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, avaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, oculus malus, blasphemia, ſuperbia, ſtultitia: omnia hæc mala abintus procedunt, et communicant hominem*, id est, coinquinant. Hæc veniunt a corrupta per labem originalem natura nostra. Neque vero in peccato protoparentum esus pomi caput est, ſed inobedientia, averſa a Deo, atque perverſa per ſerpentem mente ſeu corde, tanquam,

a) *Marc. VII. 5. etc.* b) *Ib. 21.*

ut vulgo loquimur, ſede animi ea præſertim ex parte, qua volumus, atque inclinamur ſive ad bonum ſive ad malum. Quid vero Deus ab illis, quos a ſervitute peccati in libertatem filiorum ſuorum vindicat, requirit? *Fili mi, præbe mihi cor tuum!* Conſtituitur a theologis catholicis peccatum originale in habituali aversione a Deo, *αταξία* illa ſeu propensione ad malum ex corruptione congenita posterorum Adæ, quæ ſe palam data quavis occaſione prodit, cæcitate mentis et perverſitate cordis. De hoc ingemiſcens S. Paulus: *Infelix ego homo*, inquit *a*), *quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* At non ita Judæi, Phariſæi imprimis, Chriſti reſpuentes gratiam, a Meſſia non ſe a ſervitute peccati corruptioneque naturæ, ſed a ſervitute Romanorum liberandos ſperabant, *ſcandalizati hoc verbo.* Ex illis nempe hi erant, de quibus reſpondens apoſtolis ad hoc Matth. XV. 13. Chriſtus ait: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cæleſtis, eradicabitur. Sinite illos: cæci ſunt et duces cæcorum: cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.* Quod contigit genti Judaicæ, dum Phariſæorum ſe ducatui committentes, Chriſtum reſpuunt.

a) *Rom. VII.* 24.

CAPUT LXIX.

CAPUT LXIX.

FIDES MULIERIS GENTILIS SYROPHŒNISSÆ.

Erat mulier gentilis, Syrophœniſſa genere. Et rogabat eum, ut dæmonium eiiceret de filia eius. Qui dixit illi: *Sine prius ſaturari filios: non eſt enim bonum ſumere panem filiorum, et mittere canibus. At illa reſpondit, et dixit illi: utique Domine, nam et catelli comedunt ſub menſa de micis puerorum. Et ait illi: Propter hunc ſermonem vade, exiit dæmonium a filia tua.* Marc. VII. 26. etc.

Nobis ad exemplum. Admiranda eſt fides mulieris huius Cananææ, cui etiam inſigne ipſe Chriſtus apud Matthæum reddit teſtimonium: *O mulier*, ait *a*), *magna eſt fides tua.* Ex Marco intelleximus eam gentilem fuiſſe Syrophœniſſam; et tamen apud Matthæum, *a finibus illis egreſſa clamavit, dicens ei: Miſerere mei Domine, Filii David b)!* Quem nolunt agnoſcere Judæi Chriſtum filium David, hunc agnoſcit mulier gentilis, petitque filiam ſuam dæmonio liberari a Chriſto: *Qui non reſpondit ei verbum. Et accedentes diſcipuli eius*

a) *Matth. XV.* 28. *b*) *Ib.* 22.

rogabant eum, dicentes: Dimitte eam: quia clamat post nos. Ipse autem respondens ait: Non ſum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel a). Videntur apostoli, ut etiam alibi, pertæsi clamoris monuisse Christum; ſed quid, quod Christus non ſolum non respexerit clamantem hanc filiam Abrahæ secundum ſpiritum, verum etiam eam flagitantem respueret, quod non ſit missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel, quæ tamen oves pastorem et ducem eum non receperunt? Quod vero miratu dignius adhuc est, dum illa, nihil morata contemtum ſui ac repulsam, perseverat, venit, et adorat eum dicens: *Domine adiuva me*, responsum asperrimum tulit ex dicterio illo, quo Judæi nihil in gentiles asperius habebant, canes illos dictitantes. Christus autem respondens ait: *Non est bonum ſumere panem filiorum, et mittere canibus b).* Quid vero illa? Non tantum non dedignatur hoc nomen, ſed etiam, quod est minimum in isto genere animalium ſibi usurpat: *Etiam Domine*, ait, *nam et catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum ſuorum.* Vide dispensationem divinam admirabilem, inclementiam Christi clementissimam, qui perfidis Judæis, atque etiam nobis fidelibus in exemplum, ne perseverare in orando cessemus, neque quamvis repulsam numini

Caput LXIX.

a) *Matth. XV.* 23. b) *Ib.* 26.

Caput LXIX. irato tribuamns: conſiderantes, quomodo Chriſtus, ut mulieris huius fidem, pietatem, humilitatemque teſtatam redderet, ipſaque repulſa ac dilatione magis ac magis accenderet, primum non reſpondet, deinde intercedentibus diſcipulis negat, mulierem tertio etiam probro afficere viſus, ſic demum annuens ait: *Fiat tibi ſicut vis. Propter hunc ſermonem*, ait Chriſtus, quo nempe Evangelium gentibus prædicandum prævertens veluti mulier, utrumque opere exhibuit, quod Chriſtus de ſe diſcere voluit, *quia mitis ſum, et humilis corde*, dum non ſolum manſuete iteratam repulſam fert, verum etiam humilis canem patitur ſe vocari. Tunc *reſpondens Jeſus ait illi*, ut habetur Matth. XV. 28. *O mulier, magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis.* Sic etiam centurionem gentilem, qui indignum ſe profitetur, ut ſub tectum ſuum intraret Chriſtus, *miratus Jeſus ſequentibus ſe dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Iſrael. Dico autem vobis, quod multi ab Oriente, et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Iſaac, et Jacob in regno cælorum: filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus et ſtridor dentium a).*

Contigit beata ſors illa, cum Abraham patre credentium, Eccleſiæ ex gentibus con-

a) *Matth. VIII. 10.*

gregatæ, dum hactenus coram cernimus Judæos filios regni, quibus in Abraham, Isaac, Jacob, Moyse per legem et omnes prophetas facta est promiſsio, eiectos foras excidiſse regno cœlorum. Frustra tunc post Christum et alios apostolos D. Paulus in epistola ad Hebræos, quemadmodum ſimul quoque idem gentilibus in epistolis præsertim ad Romanos, et Galatas, fidem illam promiſsam Patribus in veteri testamento inculcat, in tribus illis epistolis verbis usus Habacuc prophetæ: *Justus autem meus ex fide vivit: quodsi ſubtraxerit se, non placebit animæ meæ.* *Nos autem*, addit, *non ſumus ſubtractionis filii in perditionem, ſed fidei in acquisitionem animæ a). Est autem fides ſperandarum ſubstantia rerum, argumentum non apparentium. In hac enim testimonium consecuti ſunt ſenes b).* Patres nimirum et patriarchæ quos recenset inde ab Abel. *Et hi omnes*, demum concludens ait c), *testimonio fidei probati, non acceperunt repromiſsionem, Deo prò nobis melius aliquid providente, ut non ſine nobis consummarentur. Ideoque et nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen: aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui, proposito ſibi gaudio, ſustinuit*

a) *Hab. II. 4. et Hebr. X.* 38. 39. b) *Ib. XI.* 1.
c) *Ib.* 39. 40. *et XII.* 1.

CAPUT LXIX. *crucem, confuſione contempta, atque in dextera ſedis Dei ſedet.* Atqui fuit hoc ipſum Judæis *ſcandalum crucis*, iuxta eundem apoſtolum *a*), aliquando, ut ſperatur, evacuandum. Utinam vero, quod alibi dicit: *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum: Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam b*), quæ evacuata fuit per Eccleſiam ex gentibus [cuius incunabula, et primitias in Syrophœniſſa ac centurionibus habuimus *c*)] in toto orbe conſtitutam, utinam inquam non hodie in hac ex Gentibus conſtituta Eccleſia prædicatio Chriſti crucifixi ſtultitia eſſe invaleſceret, idque tempus, de quo Chriſtus: *Filius hominis cum venerit, putasne fidem inveniet in terra?*

a) *Gal. V.* 11. *b*) *I. Cor. I.* 23.
c) *Matth. VIII.* 5. *Ib. XXVII.* 54. *Act. X.*

CAPUT LXX.

JUDÆI SIGNUM A CHRISTO PETUNT DE CŒLO.

Acceſſerunt ad eum Phariſæi, et Sadducæi tentantes: et rogaverunt eum, ut ſignum de cœlo oſtenderet eis. At ille reſpondens, ait illis: *Facto veſpere dicitis: Serenum erit, rubicundum eſt enim cœlum. Et mane: Hodie tempeſtas, rutilat enim triſte cœlum. Faciem ergo cœli diiudicare noſtis: ſigna autem temporum non poteſtis ſcire? Generatio mala et adultera ſignum quærit: et ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Jonæ prophetæ.* Et relictis illis, abiit. Matth. XVI. etc.

Stupendum ſane eſt inter tot et tanta Chriſti miracula, adhuc ſignum a Chriſto peti, uti iam ſupra ad Matth. XII. 38. audivimus Scribas et Phariſæos *dicentes: Magiſter volumus a te ſignum videre*; hic autem accedunt Phariſæis Sadducæi tentantes, rogantesque, *ut ſignum de cælo oſtenderet eis*, ſignum inquam de cœlis; dum tamen Sadducæi reſurrectionem, vitamque futuram adeoque regnum cœlorum non credebant, ut iam

Caput LXX. ab Origene in Evangelium ſecundum Matthæum Tomo XII. ad hæc verba, *qui rogaverunt, ut ſignum de cœlo oſtenderet ſibi* est notatum: „Qui ſimul, inquit *a*), ad Jesum accesserunt, in iis quæ ad resurrectionem corporum pertinent dissentientes, et velut ad id concordes facti, ut ſervatorem nostrum tentarent, et rogarent, ut ſignum de cœlo ſibi oſtenderet. Nec enim iis contenti prodigiis, quæ ſervator in curandis omnis generis morbis et languoribus fecerat in populo, aliisque miraculis, quæ palam, et in multorum conspectu patraverat, volebant præterea nunc ſibi, ac de cœlo quidem ſignum oſtendere. Atque equidem coniicio, ſuſpicatos fuiſſe illos ſigna ſuper terram edita poſſe etiam a Deo non eſſe; itaque non veritos eſſe dicere, Jesum eiicere dæmones in Beelzebub principe dæmoniorum, putaſſe autem ſignum de cœlo fieri non poſſe a Beelzebub, vel improba aliqua poteſtate."

Negatum Judæis. Hæc postquam multis ediſſeruiſſet exemplis etiam, ad ſignum Jonæ perveniens: „Non ſignum, ait *b*), erat ſolummodo, ſed etiam ſignum de cœlo; ita ut tentantibus, et ſignum de cœlo petentibus, nihilominus pro eximia ſua bonitate ſignum dederit. Nam quemadmodum Jonas tres

a) *T. III. opp. p.* 512. *b*) *Num.* 3. *p.* 514.

dies, et tres noctes tranſegit in ventre ceti, ita filius hominis in corde terræ, et deinde ex illa ſurrexit; unde dicemus ſignum fuiſſe reſurrectionis Jeſu, niſi e cœlo?" Attamen obcæcatis Judæis ad tot alia ſigna, ſignum hoc non fuit datum: neque enim Chriſtus ſeſe Judæis poſt reſurrectionem videndum præbuit: nec aliud, quod petebant ſignum e cœlo eis fuit datum. Unde Marcus, qui preſſis veſtigiis Matthæum inſequitur, ubi Judæos quærentes ab illo ſignum de cœlo inducit, ſimpliciter illis negatum perhibet: *Et ingemiſcens ſpiritu, ait: Quid generatio iſta ſignum quærit? Amen dico vobis, si dabitur generationi iſti ſignum a)*. Obſervandum enimvero, Chriſtum incredulis Judæis, et ad tot ſigna et prodigia cæcis ſignum quærentibus, dum eis ſignum Jonæ promittit, hic ſimpliciter, alibi autem de eo tantum verba facere, quod tribus diebus, et tribus noctibus fuerit in ventre piſcis, ſignumque potius in inferno, ad quem Chriſtus deſcenderat, aut ſub terra, qua ſepultus fuerat, fuiſſe, (ut ſupra ad caput XXIII. notavimus) datum Judæis, reſurrectionem Chriſti non ſolum non credentibus, ſed etiam iam factam, data cuſtodibus ſepulchri copioſa pecunia [*at illi, accepta pecunia, fecerunt ſicut erant edocti. Et divulgatum eſt verbum iſtud*

a) *Marc. VIII.* 12.

CAPUT LXX. *apud Judæos, usque in hodiernum diem a)*] ſtudiose occultantibus, omninoque immerentibus, ut petitioni eorum ſatisfieret, utpote qui Christum ſese e ſinu Patris a cœlis ad redemtionem humanam descendisse tot miraculis ostendentem non ſusceperunt; nec tempus adventus eius, etsi ſub iugo ſervitutis Romanæ, ablato iam ſceptro a Juda, gementes agnoverunt.

Nato Christo pastoribus exercitus angelorum e cœlis Messiæ nativitatem denunciaverat: ac paulo post magi ab Oriente venientes Hierosolymam diu exspectatum, tuncque Judæis exspectatissimum regem Judæorum Messiam palam inquirebant, dicentes: *Ubi est, qui natus est rex Judæorum? Vidimus enim ſtellam eius in Oriente, et venimus adorare eum.* Erat ſtella hæc ea ipsa, quam in lege ſua Num. XXIV. 17. a Baalam prænuntiatam legebant: *Orietur ſtella ex Jacob.* Stella hæc deducebat magos in Bethlehem, ubi tunc principes ſacerdotum, et ſcribæ populi Herodi ſciscitanti, ubi nasceretur Christus responderunt; ſed ipsi magos ſequi ac tempus visitationis ſuæ agnoscere nolebant. Quis ſibi tunc e cœlo ad ſalutem advenerit, non attendunt, cœli faciem tantum ſpectantes, atque ad terrena commoda ex aëris ſerenitate vel pluvia

a) *Matth. XXVIII. 15.*

tempestate respicientes. Vide, quam apposite, quam divine Christus petentibus e cœlo ſignum responderit: *Facto vespere dicitis: ſerenum erit, rubicundum est enim cœlum. Et mane: Hodie tempestas, rutilat enim triste cœlum. Faciem ergo cœli diiudicare nostis: ſigna autem temporum non potestis ſcire?* Apud Lucam ad turbas dixisse narratur Christus: *Cum videritis nubem orientem ab occasu, ſtatim dicitis: Nimbus venit: et ſit ita. Et cum austrum ſlantem, dicitis: Quia æstus erit, et ſit* a). Quod nempe certius est meteorum, quam cœlum rutilans? et tamen ad hæc phænomena faciem cœli diiudicabant; ſigna autem temporum Messiæ promissi, ad illud præcise tempus ablati a Juda ſceptri, ſese præsentem innumeris miraculis demonstrantem, non attendebant. Ad rutilum cœlum attentionem animi ſigebant, ſolem in meridie cæci non videbant, lux in tenebris lucebat, et tenebræ eam non comprehendebant. Cum et præcursor Domini, et ipse, Dominus Christus Jesus se e ſinu Patris cœlestis descendisse toties asserebat, et tot ſignis assertum ibat, ipsi adhuc ſignum e cœlo petebant?

Sed o ſtolidi! ſignum e cœlo petitis, qui nonnisi terrena de Messia exspectatis, regnum Israel restituendum, et dominatum

a) *Luc. XII.* 54.

Caput LXX.

ſuper gentes, thronum David in Sion, purpuram, pompam, divitias tantum, felicitatemque in præsenti ſæculo; adeoque Chriſtum pauperem et humilem detrectatis et deſpicitis! „Humilitatem, ſunt verba S. Hilarii in h. l. *a*), in Chriſto carnis et corporis contuentes, doctrinam ex his, quæ ſub hominis habitu gerebat, dedignantur accipere. Quorum inſolentiam et inanitatem irridens, multa eos de natura cœli coniicere ſolere reſpondet; cum rubicundo aut ortu aut veſpere ſerenum, nimboſumve pronuntient: porro autem ignorare eos temporum ſigna, cum omnis lex et prophetæ adventus ſui indicia ex operum, quæ gereret, admiratione ſignificent: ut quemadmodum fidem tempeſtatis cœli, vel matutini, vel veſperis rubor redderet; ita manifeſtam temporum cognitionem virtutum atque operum indicia præſtare deberent.“ Hunc ipſum huius loci ſenſum manifeſtum dicit S. Hieronymus *b*), quod ex elementorum ordine atque conſtantia poſſint et ſereni et pluvii dies prænoſci; ſcribæ autem et Phariſæi, qui videbantur legis eſſe doctores, ex prophetarum vaticinio non potuerunt intelligere Salvatoris adventum. Subtilius hic S. Chryſoſtomus ſigna utriusque adventus Chriſti, quorum alteruter ſuo reſpectu portendit, habetque ſuam ſerenitatem, aut tempeſtatem,

a) *Comment. in Matth. c.* 16. *n.* 1. *p.* 688.
b) *Lib. II. in Matth. c.* 16. *T. IV. p.* 71.

hic diſtinguit, ita ut prioris adventus ſigna in terra, ſecundi in cœlo ſint: „ut in cœlo, inquit *a*), aliud ſignum est tempeſtatis, aliud tranquillitatis, nec quis conſpecto tempeſtatis ſigno tranquillitatem exſpectat, neque in tranquillitate ſerena tempeſtatem; ſic de me quoque exiſtimandum. Aliud enim est tempus huius adventus, aliud futuri. Nunc opus est ſignis illis, quæ in terra dantur; quæ in cœlo autem, in illud tempus reſervantur. Nunc ut medicus veni, tunc ut iudex adero; nunc ut quæram eos, qui erraverunt, tunc ut rationes repetam. Ideoque latens veni; tunc publice et palam cœlos convolvam, ſolem abſcondam, lunam non ſinam dare lucem ſuam. Tunc virtutes cœlorum movebuntur, adventusque meus ſimilis erit fulguri confeſtim omnibus apparenti. Sed non est iam tempus huiusmodi ſignorum. Nam veni moriturus, et turpiſſima paſſurus. Non audiſtis prophetam dicentem: *Non contendet neque clamabit, neque audietur foris vox eius;* et alium rurſus: *Deſcendet ſicut pluvia in vellus?*"

a) *Hom. LIII. in Matth. n. 2. T. VII. p.* 540. *etc.*

CAPUT LXXI.

PETRI PRÆROGATIVÆ OB AGNITAM PRÆ CÆTERIS CHRISTI DIVINITATEM.

Beatus es Simon Bar-Jona: quia caro et ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui est in cœlis. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum et in coelis: et quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum et in coelis. Matth. XVI. 17. etc.

Petrus et Petri confeſſio petra Eccleſiæ.

Quid ulli unquam mortalium tale obtingere potuit, quod Petro, dum Christum Filium Dei vivi confeſſus ab eo beatus prædicatur. Petrus a petra dicitur ſuper quam Eccleſia, quam Christus acquiſivit ſanguine ſuo, ædificanda denunciatur, domus illa, quæ hactenus replet orbem, estque regia illa, ſeu regnum Christi non ſolum præſentis temporis, ſed etiam æternum in cœlis, cuius clavifer Petrus constituitur, ut quodcunque ligaverit, vel ſolverit ſuper terram, ligatum aut ſolutum maneat et in cœlis.

Caput LXXI.

Quæ quidem ligandi ſolvendique poteſtas poſtea Matth. XVIII. 18. etiam cæteris apoſtolis datur; ſed hic Petro primum, eidemque ſingulariter; uni vero Petro et hic claves regni cœlorum, quibus ſumma ſemper fuit deſignata poteſtas: unde etiam de Chriſto, cuius vicem Petrus eiusque ſucceſſores in Eccleſia gerunt, dicitur Apoc. III. 7. verbis ex Isai. XXII. 22. deſumtis: *Hæc dicit Sanctus et Verus, qui habet clavem David: qui aperit, et nemo claudit: claudit, et nemo aperit.* Sic etiam ad Petrum ſingulariter dictum eſt: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* De quo S. Cyprianus de unitate Eccleſiæ: „Super illum unum ædificat Eccleſiam ſuam.“ Quam in rem ſolis radiorum exemplo utitur ex centro ſuo prodeuntium ad eandem unitatem demonſtrandam, at epiſt. 73. ſcribit: „Eccleſia una eſt, et ſuper unum, qui claves accepit, Domini voce fundata eſt.“ Quando vero D. Paulo Eph. II. 20. dicimur *ſuperædificati ſuper fundamentum apoſtolorum*, communio illa indicatur inter apoſtolos et eorum ſucceſſores in Petri ſucceſſoribus concentrata ad conſervandam eam unitatem, pro qua Chriſtus in ultima ante paſſionem oratione Patrem rogavit, *ut ſint unum:* pro Petro vero iterum ſingulariter: *Ut non deficiat fides tua*, quam nimirum confeſſus,

CAPUT LXXI. audire meruit: *Quia tu es Petrus, et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.*

Quis neget hæc tanta Petri confeſſioni tribui? Sed quis ſanæ mentis ſeparet confeſſionem Petri a Petro confitente, quem utique alloquitur Chriſtus, et poſtquam beatum dixerat, Eccleſiam ſuam promittit ædificaturum ſe ſuper eum, ut antiquiſſimi SS. Patres loquuntur; nec illi abludunt, qui petram confeſſionem Petri intelligunt, ex quibus S. Auguſtinus in retractationibus optionem dat *a*), quam quis probabiliorem putat, eligendi. Et ſiquidem nimium videatur ſuper Petrum ædificari Eccleſiam in terra, anne minus eſt eidem dari claves regni cœlorum? *Tibi*, ait Chriſtus, *dabo.* Quid hic aliud in mentem venire poteſt, quam ipſe Petrus? Quod fruſtra ei Chriſtus indidiſſet nomen, niſi ſuper eum Eccleſiam ſuam ædificaturus fuiſſet, petram illam firmiſſimam, contra quam portæ inferi non eſſent prævaliture.

Chriſti divinitas. Portæ hæ ſunt illæ infernales, domus, ſeu civitas diaboli, quæ opponitur civitati Dei Eccleſiæ Chriſti, uti Chriſto antichriſtus; is nempe ſecundum evangeliſtam aquilam, *qui negat Patrem et Filium b*), nempe *Dei vivi*, quem Petrus confeſſus beatus

a) *Lib. I. c.* 21. *b*) *I. Jo. II.* 22.

prædicatus eſt, atque in tantam ſublimatus dignitatem a Christo non ſolum confeſſionis præmium accipit, ſed etiam huius a Patre cœleſti revelatæ divinæ veritatis firmamentum audit. „Viden', ſunt verba S. Jo. Chryſoſtomi in h. l. *a*), quomodo ad ſublimiorem de ſe opinionem Petrum erigat, et ſeipſum revelet ac per haſce duas promiſſiones ſe Filium Dei eſſe oſtendat? Nam quæ uni Deo ſunt propria, nempe peccata ſolvere, Eccleſiam in tanto fluctuum concurſu immotam reddere, hominemque piſcatorem toto impugnante orbe petra firmiorem reddere, hæc ſe illi daturum pollicetur: ut Pater Jeremiam alloquens dicebat, ſe poſuiſſe illum ſicut columnam æream, et ſicut murum. Sed illum uni genti, hunc autem in univerſo terrarum orbe. Libenter quærerem ab iis, qui imminutam filii dignitatem volunt, quæ maiora ſint dona, an quæ Pater, an quæ Filius Petro dedit. Nam Pater revelationem Filii Petro dedit; Filius vero et Patris et ſuam revelationem per totum orbem diſſeminavit, ac mortali homini omnem in cœlo poteſtatem dedit, dum claves illi tradidit, qui Eccleſiam per totum orbem terrarum extendit, et cœlis firmiorem monſtravit: nam ait, *cœlum et terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* Quomodo

a) *Hom. LIV. in Matth. n.* 2. *T. VII. p.* 548.

CAPUT LXXI.

ergo minor is, qui talia dedit, qui talia fecit?" Hæc S. Pater contra Anomœos Christum ſeu Filium Patre inferiorem ſtatuentes, argumento pro divinitate Christi non perfunctorie conſiderando in toto hoc ſermone Christi ad Petrum, in quo non ſolum confeſſionem Petri: *Tu es Christus, Filius Dei vivi*, admittit ſine omni restrictione, ſed etiam ob eam Petrum, quod non caro et ſanguis ſed Pater cœlestis hanc ei veritatem revelaverit, præ cæteris beatum prædicat; quod non feciſſet magiſter humilitatis, ſi Filius Dei tantum fuisset illorum inſtar, quibus dedit potestatem filios Dei fieri, quique per adoptionem tantum ex Deo nati ſunt. Quod argumentum in innumeris evangelii locis valet, quibus Christus se Patri comparat, aut aliquid ſibi ipſi tribuit, quod Deo competit. Evidentiſſima hæc est ac invictiſſima unionis hypostaticæ Verbi divini cum natura humana, communicationisque, quam theologi vocant idiomatum demonstratio: dum cernimus eumdem Deum et hominem et humana pati, nihilque a se humani abſque peccato alienum putare, et divina operari, idque contestari, propria se virtute operari, Filium Dei vivi se vocantem diſcipulum laudare, remunerari, et ſeipſum paſſim dicere ac profiteri, se et Patrem unum esse: hanc esse vitam æternam, *ut cognoſ-*

cant, quemadmodum inquit allocutus Patrem *a*), *te Deum verum*, *et quem miſisti*, *Jesum Christum.* Et alibi *b*): *Ut omnes honorificent Filium*, *ſicut honorificant Patrem: qui non honorificat Filium*, *non honorificat Patrem*, *qui miſit illum.* Quis hæc de se dicentem audiat Christum, et non ſtatim cum Petro adorabundus exclamet *c*): *Et nos credidimus*, *et cognovimus*, *quia tu es Christus Filius Dei.* Et in propoſito nobis loco: *Tu es Christus Filius Dei vivi?* Seu prout apud Lucam habetur *d*): *Christus Dei. At ille increpans illos*, *præcepit*, *ne cui dicerent hoc*, *dicens: Quia oportet Filium hominis multa pati etc.* Ecce hic, ut paſſim alibi, Filium hominis se vocat, et discipulis *Christum Dei*, quem ipsum illi Christum Filium Dei denunciant! Aperit etiam discipulis, quæ vel maxime humana perpeſſurus esset in paſſione ac morte ſua: et quidem poſt resurrectionem dicit discipulis, hæc oportuiſſe *pati Christum*, *et ita intrare in gloriam ſuam e*), eum inquam, qui coæternus Dei Filius est in gloria Patris: *Unigenitus Filius*, *qui est in ſinu Patris f*), ut de eo præcursor Christi testatur. Sic quippe totum Evangelium contextum est, ut de eodem Filio hominis et Filio Dei nunc humana, nunc di-

CAPUT LXXI.

a) *Jo. XVII.* 3. *b*) *Ib. V.* 23. *c*) *Ib. VI.* 70. *d*) *Luc. IX.* 20. *e*) *Ib. XXIV.* 26. *f*) *Jo. I.* 18.

Caput LXXI.

vina prædicentur, et ipse Christus prædicet; ut nisi hypostatica Verbi divini cum natura humana unione unigenitus Filius Dei ab æterno genitus a Patre, in tempore natus a matre agnoscatur, Evangelii veritas et ſinceritas dispereat, omnia antithesibus inter se ſint confusa ac disparata, atque adeo non revelatio tantum, ſed ipsa eos ratio fallat, fugiatque, qui hodieque imprimis tanto numero haberi volunt Christiani et credere Evangelio, ac nihilominus cum Socinianis Christum Filium Dei esse confiteri tergiversantur: quod dum profitetur Petrus, beatus a Christo dicitur: *Quia*, ait, *caro et ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis est.*

CAPUT LXXII.

PETRI INCREPATIO POST PROMISSIONEM CLAVIUM.

Tunc præcepit diſcipulis ſuis, ut nemini dicerent, quia ipſe eſſet Jeſus Chriſtus. Exinde cœpit Jeſus oſtendere diſcipulis ſuis, quia oporteret eum ire Jeroſolymam, et multa pati a ſenioribus, et ſcribis, et principibus ſacerdotum, et occidi, et tertia die reſurgere. *Et aſſumens eum Petrus, cœpit increpare illum, dicens: Abſit a te, Domine: non erit tibi hoc. Qui converſus, dixit Petro: Vade poſt me ſatana, ſcandalum es mihi: quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed ea, quæ hominum.* Matth. XVI. 20. etc.

Post ſingulares præ cæteris apoſtolis prærogativas acceptas.

Hæc audire debuerat Petrus, cum vix edita confeſſione divinitatis Chriſti diſcipulos interrogantis: *Vos autem, quem me eſſe dicitis*, ipſe ſolus reſpondens: *Tu es Chriſtus, Filius Dei vivi*, non ſolum *beatus* diceretur, verum etiam ſingulares prærogativas præ cæteris apoſtolis acciperet. Data eſt quidem etiam, ut modo notavimus, poteſtas cæteris apoſtolis poſtquam Chriſtus edixerat, *qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut*

Caput LXXII. *ethnicus, et publicanus. Amen dico vobis: Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata et in cælo: et quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta et in cælo.* Sed poteſtas hæc collegio apoſtolorum atque adeo ſimul etiam Petro collata, eidem non fruſtra ſic ſingulariter eſt conceſſa, ut non ſolum peculiariter claves regni cœlorum ipſi committerentur, ſed etiam Eccleſia ſuper hanc petram ædificanda promitteretur, contra quam portæ inferi non eſſent prævalituræ. Id cum poſt tot ſæcula comprobatum cernamus, ſiquidem collapſis reliquis omnibus ab ipſis apoſtolis fundatis una ſedes Apoſtolica Petri ſupra petram firma ſtet et inconcuſſa, de cætero non eſt cur hæſitemus. Quæſtionem hic vel maxime ad rem S. Hieronymus non tam ſuam movet, quæ ſit tam repentina converſio, ut poſt tanta præmia atque prærogativas ſatanas appelletur? „Sed ſi, ait *b*), conſideret, qui hoc quærit, Petro illam benedictionem et beatitudinem ac poteſtatem, et ædificationem ſuper eum Eccleſiæ in futuro promiſſam non in præſenti datam intelligit. *Ædificabo*, inquit, *ſuper te Eccleſiam, et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam;* et: *dabo tibi claves regni cælorum*, omnia de futuro. Quæ ſi ſtatim dediſſet ei, nunquam in eo pravæ opinionis error inveniſſet locum.“

a) *Matth. XVIII.* 17. 18. *b*) *L. III. in Matth. T. IV. p.* 76.

Inſederat adhuc animo Petri communis Judæorum perſuaſio de Meſſiæ in terris regno, de quo tanto proſperiora ad omnem felicitatem, altioraque ſibi in animum induxerat, quo præſtantiorem de eo opinionem conceperat, confeſſus eum Chriſtum Filium Dei vivi. „Ipſe, ſunt verba S. Irænei M. *a*), qui agnitus eſt a Petro Chriſtus, qui eum beatum dixit, quoniam Pater ei revelavit Filium Dei vivi, dixit, ſemetipſum opportere multa pati, et crucifigi: et tunc Petrum increpavit, ſecundum opinionem hominum putanti eum eſſe Chriſtum, et paſſionem eius averſanti.“ Quærit S. Auguſtinus *b*): „Quare ergo ſatanas, qui paulo ante beatus et petra? *Non enim ſapis quæ Dei ſunt*, ait, *ſed quæ ſunt hominis.* Paulo ante, quæ Dei: *Quia non revelavit tibi caro et ſanguis, ſed Pater meus, qui in cælis eſt.* Quando in Deo laudabat ſermonem, non ſatanas, ſed Petrus a petra: quando autem a ſe, et ex humana infirmitate, amore hominis carnali, quod impedimento eſſet ſaluti ipſius et cæterorum, ſatanas dictus eſt. Quare? quia præcedere Dominum volebat, et Duci cœleſti terrenum dare conſilium.“ Quod hic dicit S. Doctor præcedere Dominum voluiſſe Petrum explicatius poſtea ediſſerit.

CAPUT LXXII.

Male ſapiens ſatanas dicitur.

a) *Lib. III. contra hæreſes n.* 4. *p.* 210.
b) *Enarrat. in Pſal. LV. n.* 15. *T. IV. p.* 525.

CAPUT LXXII. „Præcedere quippe quodam loco Petrus voluit Dominum. Loquebatur enim Salvator de paſſione ſua, quam ſi non ſuſcepiſſet, nos ſalvi non eſſemus: et Petrus, qui paulo ante eum confeſſus erat Filium Dei, et in illa confeſſione appellatus erat petra, ſupra quam fabricaretur Eccleſia, paulo poſt Domino dicente de futura paſſione ſua, ait: *Abſit Domine, propitius eſto tibi, non fiet iſtud.* Paulo ante: *Beatus es Simon Bar-Jona, quia non tibi revelavit caro et ſanguis, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt*: modo repente: *Redi poſt me ſatanas.* Quid eſt redi poſt me? ſequere me. Præcedere me vis, conſilium mihi dare vis; melius eſt, ut conſilium meum ſequaris: hoc eſt, redi retro, redi poſt me. Antecedentem compeſcit, ut retro redeat; et appellat ſatanam, quia vult præcedere Dominum *a*).“ Benignæ huius verborum Chriſti in Petrum interpretationis auctor eſt Origenes: „*Vade poſt me*, quaſi, inquit *b*), qui ire poſt illum, eumque ſequi ceſſaſſet: nec dixiſſet item, *ſatana*, quaſi qui contraria iis, quæ a ſe dicta fuerant, protuliſſet. Nunc autem illum Jeſum ſequentem, et poſt eum ambulantem potuit ſatanas abducere, ut hunc non amplius ſequeretur, nec eſſet poſt Filium Dei, ac illum per ea, quæ ex inſcitia

a) *In Pſal. LXIX. n.* 4. *p.* 714. *b*) *T. XII. in Matth. n.* 21. *Tom. III. opp. p.* 540.

dixit, dignum efficere, qui ſatanas appellaretur, et ſcandalum Filii Dei et non ſapiens ea, quæ Dei ſunt, ſed ea, quæ hominum. Petrum autem, priusquam id peccatum ab illo fuiſſet, poſt Filium Dei fuiſſe conſtat inde: *Venite poſt me, et faciam vos fieri piſcatores hominum.* Simul autem conferes, quod Petro dixit: *Vade poſt me ſatana;* et diabolo ei dicenti: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me: Vade ſatana*, abque additamento *poſt me.* Poſt Jeſum quippe eſſe bonum eſt." S. Hilarius *a*) Petri crimen ſatanæ deputat, quod „ita paſſionem deteſtatus eſt, ut dixerit, *abſit:* quo verbo, rerum deteſtandarum execratio continetur. Sed ſciens Dominus diabolicæ artis inſtinctum, Petro ait: *Vade retro poſt me:* id eſt, ut exemplo ſe paſſionis ſequatur. In eum vero per quem opinio hæc ſuggerebatur conversus, adiecit, *ſatana, ſcandalum mihi es.* Non enim convenit exiſtimare, Petro ſatanæ nomen, et offenſionem ſcandali deputari poſt illa indultæ et beatitudinis et poteſtatis tanta præconia." S. Hieronymus in h. l. etymologiæ nominis inhærens media it via: „Satanas, inquit *b*), interpretatur adverſarius, ſive contrarius. Quia contraria, inquit, loqueris voluntati meæ, debes adverſarius vocari.

a) *Comment. in Matth. c.* 16. *n.* 10. *p.* 691.
b) *Lib. III. in Matth. c.* 17. *T. IV. p.* 76.

Caput LXXII. Multi putant, quod non Petrus correptus ſit, ſed adverſarius ſpiritus, qui hæc dicere apoſtolo ſuggerebat. Sed mihi hic error apoſtolicus, et de pietatis affectu veniens, nunquam incentivum diaboli videbitur. *Vade retro me ſatana.* Diabolo dicitur: *Vade retro.* Petrus audit *vade retro me*, hoc est, ſequere ſententiam meam: *Quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum.* Meæ voluntatis est, et Patris, cuius veni facere voluntatem, ut pro hominum ſalute moriar: tu tuam tantum conſiderans voluntatem, non vis granum tritici in terram cadere, ut multos fructus afferat.“ S. Joann. Chryſoſtomus preſſius literæ inhæret, Christum, ut oſtenderet ſe non invitum ad paſſionem venire, increpare Petrum, ſatanamque vocasse: „Non dixit, ſubdit *a*), ſatanas per te locutus est; ſed *vade post me ſatana.* Nam cupiebat adverſarius ut Christus non pateretur: ideo ſic vehementer increpavit, quod ſciret et illum et alios hoc ipſum timere, neque facile illud admittere.“ Est hoc, quod modo notavimus de tentatore ſatana alias vero iam ſupra ex S. Ignatio M. et S. Ambroſio obſervavimus, partum virgineum diabolo celatum fuiſſe: quo nimirum eius per ſecundum Adamum Christum (qui per hunc partum exemptus erat a damnata maſſa Adami primi) erat

a) *Hom. LIV. in Matth. n.* 3. *et* 4. *T. VII. p.* 550.

destruendum regnum, atque adeo ſua unice intererat impedire opus redemtionis noſtræ per paſſionem et mortem Chriſti: quod hic per Petrum tentabat, ideo a Chriſto ſatanam vocatum. Sicque facile conciliantur, variæ, quas modo recenſuimus, SS. PP. de hac appellatione ſententiæ. CAPUT LXXIII.

CAPUT LXXIII.

CRUX CUM CHRISTO, MORS PRO CHRISTO FERENDA.

Tunc Jeſus dixit diſcipulis ſuis: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, et tollat crucem ſuam, et ſequatur me. Qui enim voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.* Matth. XVI. 24. etc.

Amplius iam paradoxa ſenſui humano crucis Chriſti ſublimitas panditur, a qua cum Petrus Chriſtum avocare contenderet humano affectu, Chriſtus iam ſuum exemplum aliis etiam ad ſequendum proponit, quicunque voluerit eſſe eius diſcipulus. Quod enim Matthæus habet, Chriſtum Sui abnegatio in patientia et mortificatione.

dixiſſe diſcipulis ſuis, Marcus a) *convocata turba cum diſcipulis ſuis*, Lucas vero dixiſſe narrat *ad omnes: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, et tollat crucem ſuam quotidie, et ſequatur me. Qui enim voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet illam: qui autem perdiderit animam ſuam propter me et evangelium, ſalvam faciet eam b)*. Diſcrepantia inter evangeliſtas, quoad turbas, et diſcipulos ſic accipi poteſt, quod non ad omnes æque hoc præceptum pertineat, cum apoſtoli mortem ipſam, uti deinceps martyres propter Chriſtum et evangelium ſubituri eſſent, atque adeo aliter res ſpectabat ad reliquum vulgus fidelium, pace præſertim, qua nos, nempe ab hoſtibus ſitientibus ſanguinem chriſtianorum, fruimur, Eccleſiæ reddita. Per patientiam (quod alibi dicit Chriſtus: *in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*) omnes Chriſtum, crucem, quæ ſua cuique contingit, tollentes quotidie ſequi debent, parati etiam mortem ſubire pro Chriſto: *Semper*, iuxta apoſtolum c), *mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes, ut et vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris. Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Jeſum: ut et vita Jeſu manifeſtetur in carne noſtra mortali.*

a) *Marc. VIII.* 35. b) *Luc. IX.* 23.
c) *II. Cor. IV.* 10.

Eſt hoc animam perdere, ut invenia- mus eam, quod martyres per mortem pro Chriſto fecerunt, nos per mortificationem facere debemus. Hic eſt theſaurus ille, quem mox apoſtolus dixerat nos habere in vaſis fictilibus, *ut ſublimitas ſit virtutis Dei; et non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur; ſed non anguſtiamur etc. a)* Utrumque ſacrificii modum explicat Origenes ſæpe iam laudato Tomo XII. in Matthæum: „Inde enim, inquit *b*), uno quidem modo id intelligi poteſt: ſi quis amans vitæ, et vitam præſentem bonum eſſe ducens, animam ſuam ſtudioſe conſervat, ut in carne vivat, mortem reformidans, quaſi morte eam amiſſurus; is animam ſuam eo pacto dum ſervare ſtudet, eam extra felicitatis terminos eliminans, amittet. Si quis autem propter ſermonem meum, quo ad mortem usque de vita æterna pro veritate decertare perſuaſus fuit, vitam præſentem contemnens, animam ſuam perdit, præ pietate eam tradens ei, quod vulgo mors appellatur; is, utpote qui vitam ſuam propter me amiſerit, ſervabit eam potius, et tuebitur. Alio etiam modo id quod dictum eſt, accipere poſſumus. Si quis in animum ſuum inducens, quid ſit ſalus, animæ ſuæ ſalutem conſequi optat, vitæ huic nuntium

Caput LXXIII.

a) II. Cor. IV. 7. *b) Num. 26. T. III. opp. p. 544.*

Caput LXXIII. remittens, eamque eiurans, et crucem ſuam tollens ac me ſequens, animam ſuam ratione mundi perdat; nam, qui eam propter me, et omnem meam doctrinam perdiderit, ſalutem adipiſcetur, finem perditionis huius.“ Hoc ad eam ſententiam Chriſti potiſſimum ſpectat: *Quid enim prodest homini, ſi universum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* Quam S. Hilarius reſpiciens: „O beatum damnum, exclamat *a*), et iactura felix! ditescere nos Dominus detrimento animæ et corporis voluit, et eſſe ſui ſimiles hortatur: quia ipse in figura Dei conſtitutus, usque ad mortem humilis et obediens factus, principatum poteſtatis totius, quæ in Deo eſt, accepit. Sequendus igitur eſt cruce aſſumta: et paſſionis ſuæ, ſi non forte, attamen voluntate comitandus eſt. Quid enim prodeſt occupaſſe mundum, et toto terrenæ poteſtatis dominatu, opibus ſæculi incubare, ſi perdenda anima, et ſuſcipiendum vitæ detrimentum eſt.“

S. Gregorius M. frumenti exemplo, cui ſe etiam alibi Chriſtus comparat, uſus „ac ſi, inquit *b*), agricolæ dicatur: Frumentum ſi ſervas, perdis; ſi ſeminas, reno-

a) *Comment. in Matth. c.* 16. *n.* 11. *p.* 692.
b) *Lib. II. Hom. XXXII. in Ev. n.* 4. *T. I. p.* 1589.

vas. Quis enim neſciat, quod frumentum, cum in ſemine mittitur, perit ab oculis, in terra deficit? ſed unde putreſcit in pulvere, inde vireſcit in renovatione. Quia vero ſancta Eccleſia aliud tempus habet perſecutionis, atque aliud pacis; redemtor noſter ipſa eius tempora diſtinguit in præceptis. Nam perſecutionis tempore ponenda eſt anima, pacis autem tempore ea, quæ amplius dominari poſſunt, frangenda, ſunt deſideria terrena." Rem omnem paulo ante ſententia exemploque S. Pauli ob oculos poſuerat: „Penſemus, inquit *a*), quomodo ſe Paulus abnegaverat, qui dicebat: *Vivo autem iam non ego*. Extinctus quippe fuerat ſævus ille perſecutor, et vivere cæperat pius prædicator. Si enim ipſe eſſet, pius profecto non eſſet. Sed qui ſe vivere denegat, dicat unde eſt, quod ſancta verba per doctrinam veritatis clamat. Protinus ſubdit: *Vivit vero in me Chriſtus*. Ac ſi aperte dicat: Ego quidem a memetipſo extinctus ſum, quia carnaliter vivo: ſed tamen eſſentialiter mortuus non ſum, quia in Chriſto ſpiritaliter vivo. Dicat ergo Veritas, dicat: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum*." Opportune Theophanes homilia in hæc Chriſti verba accommodata ad contextum evangelii, exemplum Petri nobis proponit: „Cuius, inquit *b*), teme-

CAPUT LXXIII.

a) *Num.* 2. *p.* 1588. *b*) *Hom. XXII. p.* 138.

ritatem Dominus acriter cum reprehendiſſet, ad ſe ſequentium multitudinem converſus hunc ſermonem habuit: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum;* ad Petrum præcipue, ut opinor, orationem dirigens *a*)." Quod poſtea pluribus ex iis explicat *b*), quæ ante et poſt mortem Chriſti contigerant, quando eum Chriſtus iterum ad ſe ſequendum provocavit, ſignificans qua morte eum eſſet clarificaturus: dicitque demum, ea cauſa lætatum eſſe Petrum, inverſo capite in cruce ſuſpendi. S. Irenæus (lib. V. contra hæres. c. 28.) et ipſe martyr, S. Ignatii M. verba et exemplum ad rem affert frumenti inductione, „quod eſt, inquit, hi, qui ad Deum fructificant. Et propterea tribulatio neceſſaria eſt his, qui ſalvantur, ut quodammodo contriti, et attenuati, et conſparſi per patientiam Verbo Dei, et igniti, apti ſint ad convivium regis. Quemadmodum quidam de noſtris dixit, propter martyrium in Deum adiudicatus ad beſtias: Quoniam frumentum ſum Chriſti, et per dentes beſtiarum molor, ut mundus panis Dei inveniar." Quæ verba in epiſt. S. Ignatii ad Romanos et in eius martyrio leguntur.

a) *Pag.* 327. *etc.* *b*) *Joan. XI.* 23.

CAPUT LXXIV.

TRANSFIGURATIO CHRISTI IN MONTE.

Assumpsit Petrum, et Jacobum, et Joannem, et ascendit in montem, ut oraret. Et facta est, dum oraret, ſpecies vultus eius altera: et vestitus eius albus, et refulgens. Et ecce duo viri loquebantur cum illo. *Erant autem Moyses et Elias, visi in maiestate: et dicebant excessum eius, quem completurus erat in Jerusalem.* Luc. IX. 28. etc.

In gloria ſua.

Videmus hic Christum in gloria, et Moysen, et Eliam in maiestate cum eo loquentes. Quid vero dicebant? *Excessum eius, quem completurus erat in Jerusalem.* Passionem nimirum et mortem eius in cruce. Quæ potest esse hac maior crucis ſublimitas in ſtatu humilitationis, et exinanitionis, in quo vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre. Sed quam vidimus gloriam? Infinita est gloria, quam habuit Filius cum Patre ante mundi constitutionem ab æterno, et in ſempiternum, infinitam, cui nil detrahi, nihil addi, aut accedere potest. Hanc vero gloriam iam etiam erat participaturus nobiscum per passionem

CAPUT LXXIV. et mortem ſuo Patri reconciliaturus, conſtituturusque hæredes quidem Dei, cohæredes autem ſuos in gloria ſua. Sic poſſumus cum apoſtolo *comprehendere* Eph. III. 18. *cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, et longitudo, et ſublimitas, et profundum: ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Vide ſublimitatem conſiliorum Dei, ſapientiam eius infinitam et bonitatem erga nos, novam Verbi propter nos incarnati gloriam, quam hic in monte transfiguratus demonſtravit cum Moyse et Elia, legem et prophetas repræſentantibus, locutus exceſſum, quem completurus erat in Jeruſalem. „Ut crucis gloriam oſtenderet, cum S. Jo. Chryſoſtomo loquor *a*), Petrumque ac reliquos ſolaretur, qui paſſionem timebant, ipſorumque animos erigeret. Nam cum illo advenissent, non tacebant, ſed loquebantur *de gloria, quam completurus erat in Jeruſalem:* id eſt de paſſione et eruce; ſic enim ipſam ſemper vocant.“ Sed necdum capit rem Petrus: quique prius timore et periculi magnitudine magiſtrum abſterrere a paſſione voluit, hic gloriæ magnitudine abreptus, de eo, de quo *loquebantur, exceſſu, quem completurus erat in Hieruſalem*, non cogitat; *præceptor*, ait ad Jeſum, *bonum eſt, nos hic eſſe: faciamus tria tabernacula, unum*

a) *Hom. LVI. in Matth. n. 2. T. VII. p.* 567.

tibi, et unum Moysi, et unum Eliæ: nesciens quid diceret. Quia certe si de excessu passionis et mortis cogitasset, hoc non dixisset, ſtatim iterum timore perculsus cum ſociis, dum Moysen et Eliam nubes adumbravit. Et tum demum vox de nube audita est dicens: *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite.* At iam audierunt, et antequam in montem ascenderent, et in ipso monte, ſed non percipiebant ſublimitatem mysterii crucis, iterumque postera die, postquam descendissent de monte. Dum enim omnes ſtupent *in magnitudine Dei: omnibusque mirantibus in omnibus, quæ faciebat, dixit ad discipulos ſuos: Ponite vos in cordibus vestris ſermones istos: Filius enim hominis futurum est, ut tradatur in manus hominum. At illi ignorabant verbum istud, et erat velatum ante eos, ut non ſentirent illud: et timebant eum interrogare de hoc verbo a).*

In nonnullis Codd. Græcis loco ἔλεγον τὴν ἔξοδον αὐτῦ *excessum eius* habetur τὴν δόξαν αὐτῦ *gloriam eius.* Neque vero ἔξοδος restringitur ad mortem ſeu exitum ex hac vita, *quem completurus erat in Jerusalem*, dum et ibi resurrexerit extra urbem, ubi erat mortuus in monte Calvariæ; in cœlum etiam ascenderat in monte Oliveti, ubi passio cœperat. Unde recte hæc omnia complexe

a) *Luc. IX. 44. Matth. XVII. 21. Marc. IX. 30.*

CAPUT LXXIV. accipiuntur prout Christus rem apud Lucam ex Moyse et prophetis, quos in transfiguratione Elias repræsentabat, declaravit *a*): *Nonne hæc opportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam ſuam? Et incipiens a Moyse et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus ſcripturis, quæ de ipso erant.* Et paulo post *b*): *Quoniam ſic ſcriptum est, et ſic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die.* Ubi utique ſermo est perinde de exaltatione Christi, quam de exinanitione, quando *se humiliavit usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod et Deus exaltavit illum* iuxta apostolum *c*). Cui explicationi consentanea est transfiguratio, in qua cum illo *erant Moyses et Elias visi in maiestate.* Atque ſic nobis notam facit D. Petrus epist. II. c. I. in ea transfiguratione *Domini nostri Jesu Christi virtutem et præsentiam, ſpeculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim a Deo Patre honorem, et gloriam, voce delapsa ad eum huiuscemodi a magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.* Hic est Filius Patris dilectus ab æterno ante omnia ſæcula genitus, in tempore de Spiritu ſancto incarnatus, ex Maria virgine natus, in cœlum rediens in dextra Dei collocatus.

a) *Luc. XXIV.* 26. *b*) *Ib.* 46. *c*) *Phil. II.* 8.

CAPUT LXXV.

DIDRACHMA SOLUTUM.

Et cum veniſſet Capharnaum, acceſſerunt, qui didrachma accipiebant, ad Petrum, et dixerunt ei: Magiſter veſter non ſolvit didrachma? Ait: Etiam. Et cum intraſſet in domum, prævenit eum Jeſus, dicens: Quid tibi videtur, Simon? *Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel cenſum? a filiis ſuis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Jeſus: Ergo liberi ſunt filii.* Ut autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum: et eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle: et aperto ore eius, invenies ſtaterem: illum ſumens, da eis pro me, et te. Matth. XVII. 23. etc.

Christus Filius Dei.

Vide quomodo Chriſtus Petrum, quem paulo ante caput Eccleſiæ ſuæ conſtituerat, tamquam principem apoſtolorum, ſuumque in terris vicarium, quippe cum a ſe ſolum ceu capite familiæ didrachma peteretur, honoret. Fuit didrachma hoc ſolutum etiam a Judæis per orbem diſperſis usque ad devaſtationem templi ſub Veſpaſiano, qui cenſum hunc fiſco addixit. Habuit vero ortum ab ipſa lege Moyſi, in qua annuus

CAPUT LXXV. census capitatim in usum tabernaculi pendi iubetur. Potuiſſet vero Christus exemtionem ſibi vendicare etiam titulo ortus ac prosapiæ ſuæ ex ſtirpe regia Davidis; quæ vero tunc temporis in obſcuro latebat ſingulari quoque divino consilio, ad eximendam Judæis nimis alte animis infixam opinionem de regno Messiæ terreno; tantoque minus huc reſpicere Christus voluit, ut se immunem haberi vellet tanquam oriundum ex ſtirpe regia, qui, dum eum facere volebant regem, fugit, contestatus etiam palam coram Pilato regnum ſuum non esse de hoc mundo. Nec vero dubitandum est, conſpirantque interpretes, divinam ſuam Christum hic indigitare originem tanquam unigeniti Filii Dei, ſingulari quoque in eo argumenti vi: quod cum repeteretur hic census pro templo Dei, Filius Dei ab eo pendendo utique, exemplo etiam filiorum regum terrenorum, qui a tributis immunes esse ſoleant, liber esse debuerat.

Ubi vero illud ante omnia præcipua ac ſingulari consideratione dignum est, quod Christus tam admirabili modo ac ratione Petro in memoriam revocet confessionem, non multis abhinc diebus ab eo factam, et glorioſa transfiguratione in monte in eius animo firmatam. Argumentum a regibus terræ, quorum filii a tributis liberi ſunt,

explicat ad ſe Filium Dei a Petro agnitum: remque tam insigni miraculo ornat. Qua de re S. Hieronymus: „Quid primum, inquit *a*), mirer in hoc loco nescio: utrum præscientiam, quod noverat piscem habere in ore ſtaterem, et quod primus ipse capiendus esset, an magnitudinem, atque virtutem, si ad verbum eius ſtatim ſtater in ore piscis creatus est; et quod futurum erat, ipse loquendo fecerat." Jam prius S. doctor declaravit, quomodo Dominus noster et ſecundum carnem ex ſtirpe David genitus, et ſecundum ſpiritum omnipotentis Patris Filius liber erat. Aliud vero ante miraculum S. Chrysostomus notat: „Ne putaret enim, ait *b*), Petrus, Christum id ab illis audivisse, prævenit eum, ut hoc ipsum ſignificaret, et una fiduciam inderet, non audenti antea de illis loqui. Hoc autem vult ſignificare: Immunis a censu ſum. Nam si reges terræ a filiis ſuis nihil accipiunt, ſed ab alienis, multo magis me immunem esse oportuit, qui non terreni, ſed cœlestis Regis Filius ſum, et Rex." Pendebatur tributum hoc pro conservandis ſartis tectisque templi Hierosolymitani, quod templum Christus, eiiciens ex eo vendentes et ementes Jo. II. 16. vocat domum Patris ſui, cœlestis nimirum Regis Filius et Rex.

CAPUT LXXV.

a) *Lib. III. in cap. XVII. Matth. T. IV. p.* 81.
b) *Hom. LVIII. p.* 585.

Caput LXXVI.

CAPUT LXXVI.

PARVULI HUMILITATIS EXEMPLUM.

Accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis, putas, maior est in regno cœlorum? Et advocans Jesus parvulum, ſtatuit eum in medio eorum, et dixit: *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Quicunque ergo humiliaverit se ſicut parvulus iste, hic est maior in regno cœlorum. Matth. XVIII. 1. etc.

Apostolis contendentibus de primatu datum.

Ultima hac ſententia habetur responsio ad interrogationem discipulorum, quis maior ſit in regno cœlorum. Ex contentione autem eorum de qua Marc. IX. 32. et Luc. IX. 46. quis eorum esset maior, coniicere licet, necdum eos vulgarem opinionem de regno Messiæ, quod audierant ſæpe a Christo præsertim in parabolis regnum cœlorum vocari, deposuisse, eorumque animos æmulatione inter se, et ambitione primatus detentos fuisse, a qua magister humilitatis optime ſuo exemplo, nisi et in hoc humilitatem ostendere hic voluisset, revocare potuisset.

Et revera alibi ſeipſum præſtituit exemplum: *Diſcite*, inquit, *a me*, *quia mitis ſum*, *et humilis corde*. Sed hic dum parvulorum nos instar eſſe vult, doctorem ſe ultra humanam conditionem ac divinum plane monſtrat: neque enim homo ab homine ſimpliciter fidem, ut ita dicam, cæcam poſtulare poteſt, uterque perinde ratione præditus. Singulare id de Pythagora apud diſcipulos auctoritate fertur, ſolitos dicere αὐτὸς ἔφα. Sed hoc ipſum a philoſophiæ ſtudio alienum eſt, ubi ratione non fide res agitur, ad quod opus eſt hominibus, quibus adulta eſt ratio; at Chriſti ſchola velut a parvulis, ſimplicitatem fidei expoſcit, et obſequium, quod a creatura rationali nemo iure poſtulat, niſi auctor naturæ Deus. Quare Chriſtus Deum ſe nobis exhibet, qui, velut infantes nos, res captum noſtrum excedentes doceat. Nec fert ſchola Chriſti Eccleſia regnum Chriſti ſibi ſapientes ſuffenos. *Scriptum eſt enim a): Perdam ſapientiam ſapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. Ubi ſapiens? ubi ſcriba? ubi conquiſitor huius ſæculi? Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi? Nam quia in Dei ſapientia non cognovit mundus per ſapientiam Deum: placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes.*

a) *I. Cor. I.* 19.

Caput LXXVI. Est hoc præcipuum divinitatis religionis christianæ argumentum, ſic credidisse orbem, et tam brevi ſapientiam mundanam cum ſimplicitate fidei fuisse commutatam: Ecclesiam Christi excrevisse velut granum ſinapis, qua usus est Christus ſimilitudine: et hic parvulum medium inter apostolos ſtatuit, immemores parabolæ, qua eis idem magister humilitatis ob oculos posuit regni ſui ſeu Ecclesiæ incrementum per granum ſinapis, quod est inter ſemina minimum. Alibi etiam ab eodem grano ſinapis ſimilitudinem accipit ad extollendam humilitatis vim, et virtutem ad maxima miracula patranda: *Si*, inquit *a*), *habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic: Transi hinc illuc, et transibit, et nihil impossibile erit vobis.* Quem in locum S. Cyrillus Hierosolymitanus: „Granum, ait *b*), ſinapis, exiguum quidem est mole, ſed ignea præditum efficientia," variasque alii interpretes notant proprietates, ut etiam infantum, ſeu parvulorum in præsenti, de qua modo agimus, re: recte id quidem, ſiquidem in re aliqua ad exemplum proposita omnia possint in considerationem trahi, quæ ad instructionem facere queant legentium.

Atqui vero hic ante omnia considerandum, quod advocans Jesus parvulum *ſtatuit*

a) *Matth. XVII.* 19. *b*) *Catech. V. n.* 11. *p.* 77.

eum in medio eorum: quia nihil adeo, quam ipſe aſpectus parvulorum, exteriorque habitus, quid ſibi hic Chriſtus velit, manifeſtat. Et incontaminata item vitæ ab omni labe, poſt deletum in parvulis Judæorum originale peccatum, innocentia: dum unus Chriſtus de ſe dicere potuit ac provocare obſervantes eum hoſtes: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Sic apoſtolus Paulus nativum nobis infantum exemplum ob oculos ponit *a*): *Fratres nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia parvuli eſtote.* Quam in ſententiam S. Jo. Chryſoſtomus: „Quid eſt, inquit *b*), eſſe parvulos ſeu infantes malitia, ſeu vitio? Ne noſſe quidem, quid ſit vitium." Non eſt contrarius apoſtolus Chriſto, qui malitia nos parvulos eſſe vult. S. Clemens Alex. *c*) multis nobis ſimplicitatem infantum proponit.

Attamen dubium eſſe nemini debet, Chriſtum, ut in ſimilitudine grani ſinapis, ita etiam hic in parvulo ſeu ſimplicitate infantum ipſam humilitatem reſpicere; ceu cœli portam: „Quaſi dicat, ut cum Petro Bleſenſi loquar *d*), qui non erit humilis beneficio virtutis, ſicut hic parvulus beneficio ætatis, non intrabit in regnum cœlorum." „Revertendum igitur, inquit S.

a) *I. Cor. XIV.* 20. *b*) *T. X. Hom. XXXVI. p.* 333.
c) *Lib. I. Pædag. c.* 5. *et* 6. *d*) *Hom. III. p.* 313.

CAPUT LXXVI.

Hilarius *a*), est ad ſimplicitatem infantium: quia in ea collocati, ſpeciem humilitatis circumferemus." Et S. Chryſoſtomus Chriſtum apoſtolos alloquentem inducens in h. l. „Vos; inquit *b*); perquiritis; quis ſit maior, et de primatu contenditis. Ego vero eum, qui non humillimus factus fuerit, non eſſe dignum dico; qui intret in regnum cœlorum. Recte exemplum affert, nec affert modo; ſed et ipſum parvulum in medio ſtatuit; ipſo aſpectu hortans et ſuadens; ut ſint humiles ac ſimplices. Nam puerulus liber eſt ab invidia, a vana gloria, ab amore primatus, maximamque hanc virtutem poſſidet, nempe ſimplicitatem, et humilitatem. Non ergo opus tantum eſt fortitudine atque prudentia; ſed etiam humilitate et ſimplicitate. Etenim vel in præcipuis rebus; ſi hæ virtutes non adſint, claudicant ea, quæ ad ſalutem noſtram pertinent. Puerulus ſive contumelia afficiatur, ſive laudetur; ſive verberetur, ſive honoretur, nec indigne fert vel invidet; neque altum ſapit." Vide quomodo omnia demum ad humilitatem revocet. Sic etiam S. Auguſtinus in die octavarum infantium recens baptizatorum, quos hortatur verbis D. Petri: *Depoſita ergo omni malitia, et omni dolo, et adulatione, et invidia, et detractione, tanquam*

a) *Comment. in Matth. c. XVIII. n.* 1. *p.* 698.
b) *Hom. LVIII. n.* 2. *in Matth. p.* 587.

modo geniti infantes rationabile et innocens lac concupiſcite etc. Postquam omnia verba apoſtoli breviter definiſſet ad formandam in illis innocentiam ut vocat ſanctitatis, ad hanc pergit, „vos exhortor, *talium est enim regnum cælorum* humilium ſcilicet, hoc est ſpiritaliter parvulorum. Non contemnatis, non abhorreatis. Magnorum est illa puſillitas. Superbia vero fallax infirmorum est magnitudo; quæ ubi mentem poſſederit, erigendo deiicit, inflando evacuat, diſtendendo diſſipat. Humilis esse non potest nocens, ſuperbus esse non potest innocens. Humilitatem illam loquor, quæ non vult perituris rebus excellere, ſed æternum aliquid veraciter cogitat, quo non ſuis viribus, ſed adiuta perveniat *a*).“ Explicat denique ſingula a D. Petro notata vitia ſuperbiæ, ſanctæ adversa infantiæ, quæ de immortalitate beatorum reddit ſecuros. *Talium est enim regnum cælorum: quique se humiliaverit ut parvulus, maior erit in regno cælorum.* Quæ in verba S. Leo: „Amat, inquit *b*), Christus infantiam, quam primum et animo ſuscepit, et corpore. Amat Christus infantiam, humilitatis magiſtram, innocentiæ regulam, manſuetudinis formam. Amat Christus infantiam, quæ maiorum

Caput LXXVI.

a) *Serm. CCCLIII. T. V. p.* 1372.
b) *Serm. VII. in Epiph.*

 dirigit mores, ad quam ſenum reducit ætates, et eos ad ſuum inclinat exemplum, quos ad regnum ſublimat æternum."

CAPUT LXXVII.

SCANDALA. IGNIS INEXTINGUIBILIS.

Quod si oculus tuus ſcandalizat te, eiice eum: bonum est tibi luſcum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis: ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur. Omnis enim igne ſalietur, et omnis victima ſale ſalietur. Bonum est ſal: quod si ſal insulſum fuerit, in quo illud condietis? Habete in vobis ſal, et pacem habete inter vos. Marc. IX. 46. etc.

Sermonis connexio. Posteriora hæc verba nexum faciunt totius ſermonis de ſcandalo, quem etiam Matthæus immediate coniungit reſponſioni Christi ad interrogationem apoſtolorum, quis maior ſit in regno cœlorum: poſt contentionem nimirum in via, quis eorum maior eſſet; ut oſtenderet apoſtolis, quos alias ſal terræ vocavit, quomodo cum ſale ſapientiæ, cuius acrimonia condire debeant

mentes fidelium, humilitate infantium, non ſuperbientes inde, quod non ſolum ſal terræ, ſed etiam lux mundi dicantur, tum vero remota omni ambitione et faſtu pacem inter ſe habeant. Nexus horum omnium clarior redditur apud Lucam, ubi brevis eſt ſermo directus *ad diſcipulos ſuos a)*, futuros paſtores, quos inter maxima in Eccleſia hæreſum, et aliarum contentionum efferbuerunt ſcandala, quibus vel maxime ſcandalizantur fideles puſilli, uti etiam quibusvis vitiis ac pravis actibus paſtorum: ut adeo, quæ hic ad diſcipulos apoſtolos ſuos dicuntur de igne gehennæ, verme non moriente, igne inextinguibili, victima ſale ſalienda, maxime eorum in Eccleſia ſucceſſores terrere debeant. doctrina vel vita ac moribus ſcandalizantes puſillos fideles. Quis vero non contremiſcat, dum audit Chriſtum dicentem: *Impoſſibile eſt, ut non veniant ſcandala: væ autem illi, per quem veniunt.* Neceſſitatem hanc naſci SS. PP. ex malitia dæmonum, ac malitia ſimul et infirmitate hominum, quod quotidiana proh dolor! docet experientia, interpretantur. Omnes autem tres evangeliſtæ pœnam illam mortis, imponendi circa collum reorum molam aſinariam, ſeu lapidem molarem demergendique, habent.

a) *Luc. XVII. 1.*

Caput LXXVII.

Pœnarum æternitas.

Dum vero apud Matthæum melius esse dicitur abscindere, et proiicere manum, pedem, oculum, qui ſcandalizat, id est, qui ansa et occasio est peccandi, *quam duas manus etc. habentem mitti in ignem æternum a*), vel *in gehennam ignis*, ne cui in mentem cum Origene veniat dubitatio de æternitate ignis infernalis inextinguibilis, prout Matth. III. 12. appellatur, putetque benignius interpretandam æternitatem non ſempiternam, id est, ſemper ac ſine fine duraturam; perpendat, apud Marcum non ſolum ignem istum dici inextinguibilem, verum etiam addi *b*): *Ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur.* Idque ter ad maiorem attentionem excitandam, fortiorem in mente impressionem faciendam, graviorem terrorem incutiendum, ter inquam repetitur. „Non eum, ſunt verba S. Augustini *c*), piguit uno loco eadem verba ter dicere: quem non terreat ista repetitio, et illius pœnæ comminatio tam vehemens ore divino?" Nec etiam piguit S. doctorem integras ibidem illas tres comminationes, Christique æterni iudicis ſententiam eum in ſinem adiicere; ſententiam inquam perinde claris verbis expressam, et apertam, ut a nemine nisi Christum veritatem æternam blasphemante, quidquam opponi in contra-

a) *Matth. XVIII. 8.* b) *Marc. IX. 42.*
c) *De Civit. Dei lib. XXI. c. 9. n. 1. T. VII. p. 630.*

rium poſſit. Quod tamen proh dolor! hodie tam execrabili temeritate, impudentiaque, divini Numinis, nominisque profanatione non ferenda, etiam in vulgus ſpargitur. Et ad quid? An propterea, quia miser homuncio fidem detrectat verbo divino, res aliter se habebit, quam æterna veritas pronunciat? quid obtinent isti? quid lucrantur? qui timorem pœnarum fine carentium ſibi aliisque excutere animo gestiunt? Num ignem, quem Filius Dei pronuntiat inextinguibilem, ipsi extinguent? Num ideo vermem, quem æterna veritas dicit non moriturum, ſuffocabunt, efficientque, ut moriatur? Vel ſuam ipsorummet mentem ac conscientiam iamiam nunc rodentem? Tantum in obviis periculis, ne quid de articulo mortis dicam, ubi aut perpendere, aut verbis ſaltem exprimere angustata mens non amplius potest ſua ſensa, huiusmodi hominum (cuiusmodi passim eorum exempla eduntur, ut nuper in eorum coryphæo Voltairio non unum per vitam, omnium vero horribilissimum in morte, se a Deo et hominibus derelictum vociferante, animamque postquam furibundus propria ſua devorasset excrementa, exhalante ſpurcissimam) considerentur horrores, terrores, ad quodvis periculum conscientiæ immanem torturam, ora pallentia, trementes artus, futuri aliquando, *ubi vermis*

Caput LXXVII.

eorum non morietur, et ignis non extinguetur omnium meritiſsimi divinæ vindictæ victimæ, *omnis enim igne ſalietur, et omnis victima ſale ſalietur.* Quibus verbis ter repetitæ ſententiæ de verme non morituro, igneque inextinguibili Christus addit novam confirmationem ex ſalis natura corruptioni reſiſtente: ſuis etiam diſcipulis ſalutare ad finem monitum, ne dum in hoc ſæculo ſunt *ſal inſulſum, et infatuatum*, in altero tanquam victimæ igne ſaliantur incorruptibili ac æterno: πυρὶ ἁλισθήσεται ſcilicet *igne ſalietur*, qui quod incorruptibilis ſit, et æternum conſervetur, ſalis, qui a corruptione præſervat comparatione declaratur.

Igne inextinguibili et verme non morituro.

Nec est vero, cur ab hac allegoria ad ignem aut vermem metaphoricum argumentum ſumatur contra expreſſam et apertam tremendi iudicis ſententiam: *Diſcedite a me, maledicti, in ignem æternum a*). Perinde vero idem de iustis et damnatis paulo poſt dicitur: *Ibunt hi in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam.* Ita ut, niſi cum materialiſtis ingratus creatori, qui ad imaginem ſuam et ſimilitudinem inſpiravit tibi ſpiraculum vitæ, animam ſpiritualem et immortalem, teipſum dehoneſtare non erubeſcas (*comparatus iumentis inſipientibus, et ſimilis factus illis*, merum, ac purum putum

a) *Matth. XXV.* 41.

brutum te et materiale animal faciens) non poſſis queri ſupplicium ſine fine æternum, dum viciſſim dat Deus vitam immortalis animæ cum corpore immortali per reſurrectionem ſine fine beatam. Quid, quod eadem ſive de igne, qui non extinguetur ſive de verme, qui non morietur, ſententia tam ſæpe ſit non ſolum in novo ſed etiam in veteri teſtamento repetita. Ne vero quis argutetur, fieri poſſe, ut ignis non extinguatur, quin tamen iniecti in illum ſine fine crucientur eo, expreſſe dicitur: *vermis eorum*, damnatorum ſcilicet, *non morietur, et ignis non extinguetur.* Et quidem Iſaiæ cap. ultimo verſu ultimo id iisdem omnino verbis ac in Evangelio habetur: *Et egredientur, et videbunt cadavera virorum, qui prævaricati ſunt in me: vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur.* Ubi cadaverum mentio ſupplicium etiam corporale poſt reſurrectionem corporum indicat. Id quod adhuc manifeſtius ſecundum omnes circumſtantias exprimitur Judith XVI. 20. etc. *Væ genti inſurgenti ſuper genus meum: Dominus enim omnipotens vindicabit in eis, in die iudicii viſitabit illos. Dabit enim ignem, et vermes in carnes eorum, ut urantur, et ſentiant usque in ſempiternum;* generatim vero Eccli. VII. 19. *Humilia valde ſpiritum tuum: quoniam vindicta carnis impii, ignis et vermis.* Et ſane ſuppoſita carnis reſurrectione omnis

CAPUT LXXVII.

omnino diſparet difficultas de corporibus damnatorum igne materiali urendis, ac verme corrodendis, uno incorruptionis diſcrimine, quia *omnis*, nempe quivis eorum, *igne ſalietur et omnis victima*, divinæ iræ videlicet ac vindictæ, *ſale ſalietur*, ut ſit nimirum inconſumtibilis. Uti vero in igne, ita etiam in verme quodnam inconveniens fingi poteſt, ut caro plaſmatori ſuo inobediens vermibus undique, quibus corrodatur, ſcateat? Ne quid de verme malæ conſcientiæ dicam: qui dum haud raro in præſenti etiamnum vita miſerandum in modum diſcruciat peccatores, ubi tamen adhuc remedium in ſpe veniæ ſupereſt; quid de altera vita exiſtimandum eſt, quando deſperata ſunt omnia? In inferno, ubi nulla eſt redemtio, nulla damnatis refocillatio. *Ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur.* Ut quid nobis ſecuritatem, quæ ſalutis æternæ incurios reddat, polliceri audeamus, quam ſolus præſtare poteſt Deus? Ut quid nos ingerere divinis iudiciis, quæ ſunt abyſsus multa, præſumamus? Supremo Numini nos, ſortemque noſtram, de eius pietate confiſi, nec deſpondentes, nec elati animo, temere de divina nemeſi arrogato arbitrio, humiles committamus, qui ſuperbis reſiſtit humilibus autem dat gratiam, qua freti, ab inferni flammis, quas ſane opinando nos non extinquemus, tutos nos reddere liceat.

CAPUT LXXVIII.

SERVUS DEBITOR, ALII NON REMITTENS.

Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me: nonne ergo oportuit et te miſereri conſervi tui, ſicut et ego tui miſertus ſum? Et iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet univerſum debitum. Sic et Pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unusquisque fratri ſuo de cordibus veſtris. Matth. XVIII. 32.

Deus per Christum omne nobis debitum remittens, idem a nobis fieri vult.

Quod hic dicit paterfamilias: *Omne debitum dimiſi tibi, quia rogaſti me*, non rogatus nobis præſtat Deus in ſacramento regenerationis; ita ut, quotiescunque immemores tanti beneficii, ab impoſita nobis obligatione reciproca (qua ex parte Dei nullum maius cogitari poteſt divini erga genus humanum amoris argumentum) aliquid in nobis deſiderari patimur, nos vindictæ in ſervum hunc nequam reos Deo reddamus: *Nonne ergo et te oportuit miſereri conſervi tui?* „Formidoloſa ſententia, exclamat in hunc locum S. Hieronymus *a*), ſi iuxta noſtram mentem ſententia Dei flectitur, atque mu-

a) *T. IV. p.* 86.

Caput LXXVIII. tatur. Si parva fratribus non dimittimus, magna nobis a Deo non dimittentur. Et quia poteſt unusquisque dicere: nihil habeo contra eum, ipse novit, habet Deum iudicem, non mihi curæ est, quid velit agere, ego ignovi ei; confirmat ſententiam ſuam, et omnem ſimulationem fictæ pacis evertit, dicens: *Si non remiſeritis unusquisque fratri ſuo de cordibus ſuis.* " S. Benedictus c. 13. Reg. opportune huc quam maxime præcipit: „Plane agenda matutina, vel vespertina non transeat aliquando, nisi in ultimo ordine oratio Dominica omnibus audientibus dicatur a Priore propter ſcandalorum ſpinas, quæ oriri ſolent, ut conventi per ipsius orationis ſponsionem, qua dicunt: *Dimitte nobis debita nostra, ſicut et nos dimittimus debitoribus nostris*, purgent se ab huiusmodi vitio." Jam ſupra monitum est, quid in quotidiana oratione Dominica attendendum nobis ſit, ne ipsi nos ſententiam damnationis cum ſervo illo (de quo parabola habet, quod domino ſuo debitor decem millium talentorum, cum ſolvendo non esset, procidens dilationem debiti rogarit) in nos dicamus, orantes dimitte nobis debita nostra, ſicut et nos dimittimus debitoribus nostris: reviviscatque debitum nostrum, quando conservi non miseremur, ſicut Deus misertus est nostri, et iratus Dominus tradat nos tortoribus, quoadusque reddamus universum debitum.

Abuſus eſt hoc loco Origenes ad aſſerendam ſuam reſtitutionem damnatorum in inferno in priſtinum ſtatum; ſed iam ſatis illi repoſitum reſponſumque fuit, interminatam potius et æternam futuram ſignificari pœnam, eoquod fieri nequeat, ut univerſum debitum ſolvat creatura Deo creatori offenſo. Parabola hæc verſantibus nobis in hoc ſæculo propoſita eſt ab eo ipſo unigenito Filio Dei, qui in hunc mundum ad ſolvenda æterno Patri debita venit: atque in ipſa hac parabola roganti ſervo: *Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi;* non tantum, quantum ſervus rogavit, indulſerat, ſed pro infinita miſericordia ſua univerſum debitum dimiſerat. Atque in hoc eſt vis et ſublimitas huius ſententiæ, verborumque Chriſti: *Serve nequam omne debitum dimiſi tibi*, ut propoſito nobis redemtionis noſtræ myſterio, quo ſe Chriſtus totum pro nobis lytrum æterno Patri dignum præbuit, nos peccantibus in nos fratribus ex toto corde perinde dimittamus. *Hoc eſt præceptum meum*, ait Chriſtus, *ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos.* Et: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos.* Quæ quæſo maior dignatio, maior erga miſeros nos divinæ clementiæ teſtificatio eſſe poteſt quam hæc reciproca dilectionis conditio, quam tamen ex parte noſtra nunquam adæquare poſſumus? CAPUT LXXVIII.

Caput LXXIX.

CAPUT LXXIX.

SERVI INUTILES SUMUS.

Quis veſtrum habens ſervum arantem aut paſcentem, qui regreſſo de agro dicat illi: Statim tranſi, recumbe: et non dicat ei: Para, quod cœnem, et præcinge te, et miniſtra mihi donec manducem, et bibam, et poſt hæc, tu manducabis, et bibes? Nunquid gratiam habet ſervo illi, quia fecit, quæ ei imperaverat? Non puto. Sic et vos, *cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Servi inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus.* Luc. XVII. 7. etc.

Deo toti mancipati.

Quodſi conſideremus, quos tunc Chriſtus allocutus ſit diſcipulos ſuos, quos in agrum dominicum per totum orbem ad plantandam Eccleſiam ſuam ad duriſſimos labores miſſurus erat dicere invitatis, ut veniant ad nuptias agni, compellere cæcos, claudos intrare etc. parare Chriſto cum electis cœnam illam evangelicam, animadvertemus, quam appoſite comparatio fiat a Domino, qui ſervum, poſtquam in agro deſudavit, nihilominus adhuc ad ſuum miniſterium domum reducem adhibet, nec propterea peculiarem gratiam habet, quia nempe ſervus

eſt domino ſuo obſtrictus. Quanto autem magis nos ſervi Domini dominorum, eidem ſervitia noſtra exhibere tenemur, qui noſtri quidem, et bonorum noſtrorum operum non eget, ſed pro infinita miſericordia ſua miniſterio noſtro utitur, mercedem nobis redditurus, quæ in nullam comparationem venire poſſit cum iis, quæcunque agimus ſervi omni ex parte inutiles? Nihil enim facimus, quam quod debemus Domino creatori et redemtori noſtro, cui quidquid ſumus, et poſſumus, eo magis debemus, quod id ipſum quod facimus, non a nobis ipſis ſed ſua gratia fit, qui nos in libertatem vindicavit, hæredesque cum ſuo Filio, poſtquam ei in ſanctitate et iuſtitia ſervierimus omnibus diebus vitæ noſtræ, in æterna vita conſtituet gratuito tanquam ſervos inutiles, qui quod debuimus, fecimus. „Id eſt, ut loquitur S. Martinus Dumienſis opuſc. V. Exhortat. Humilitatis *a)*, non ex dono tanquam liberi, ſed ex debito tanquam ſervi. Nullus enim, quamvis perfectus in omnibus vir, ita aliquando hæc præoccupavit, quæ Deo ſunt placita, ut prius aliquid illi fœnerans, non debitor fuerit, ſed exactor. Quis enim aliquid habet, quod ab illo datum non eſt? *Aut quis*, ſicut apoſtolus ait, *prior dedit illi, et retribuetur ei? quoniam omnia ex ipſo, et per ipſum, et in*

a) T. XII. Bibl. PP. p. 283.

Caput LXXIX.

ipſo: ipſi gloria in ſæcula, Amen. Ecce hæc est vera illa et christiana humilitas." Est hoc argumentum opusculi II. S. Marci monachi et eremitæ, qui archiepiscopus in Catena PP. in Lucam apud Corderium notatur. „De his, qui putant se ex operibus iustificari, Dominus, inter alia inquit *a*), totius legis debitores nos esse indicare volens, et filiorum adoptionem proprio ſanguine hominibus gratuito datam, inquit: *Cum omnia feceritis, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: ſervi inutiles ſumus; et quod debuimus facere, fecimus.* Propterea regnum cœlorum non est merces operum, ſed gratia Domini fidelibus ſervis præparata. Servus non postulat libertatem tanquam debitam ſibi mercedem: ſed acquiescit tanquam debitor benignitatem heri ſentiens, et ex gratia ſuscipit. Qui pro peccatis nostris mortuus est, ſecundum ſcripturas etiam fideliter et probe ipsi ſervientibus, libertatem largitur gratuito. Ait enim: *Euge ſerve bone et fidelis; quia ſuper pauca fuisti fidelis, ſuper multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.* Nondum vero ſervus fidelis perhibendus est, qui nudæ ſolum cognitioni innititur: ſed qui per obedientiam præcipienti Christo fide adhærescit." Quid? quod etiam, quidquid obedienter agimus, ex Deo

a) *Bibl. PP. T. VIII. p.* 13. *in cap. XVII. Luc. n.* 13. *p.* 425. *ed. lat.*

habemus, qui eum, expurgato omni ex animis noſtris fermento Pelagiano, ſincere cum S. Auguſtino rogamus: „Da, quod iubes, et iube, quod vis.“ Quique divinæ benignitati totum quod ſimus, quid ſumus, et eſſe ſperamus ac habere, unice in acceptis ferentes cum pſalmiſta oramus: *Conſerva me, Domine, quoniam ſperavi in te. Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.*

CAPUT LXXX.

VARIÆ OPINIONES DE CHRISTO.

Numquid vere cognoverunt principes, quia hic eſt Chriſtus? *Sed hunc ſcimus unde ſit: Chriſtus autem cum venerit, nemo ſcit unde ſit. Clamabat ergo Jeſus in templo docens, et dicens: Et me ſcitis, et unde ſim ſcitis:* et a me ipſo non veni, ſed eſt verus, qui miſit me, quem vos neſcitis. Ego ſcio eum: quia ab ipſo ſum, et ipſe me miſit. Joan. VII. 26. etc.

Dum Judæi eum falso Nazarenum esse putant.

Uterque ortus Chriſti et æternus a Patre, et temporaneus ex matre in transverſum egit obcæcatos ac pervicaces Judæos. Primum dum coram iudicio palam, ut ſæpe

Caput LXXX. alias profitetur, blaſphemus a ſummo ſacerdote habetur et dignus morte. Et hic etiam ſubdit Joannes *a*): *Quærebant ergo eum apprehendere: et nemo miſit in illum manus, quia nondum venerat hora eius. De turba autem multi crediderunt in eum, et dicebant: Christus cum venerit, numquid plura ſigna faciet, quam quæ hic facit?* Sed ad hæc tot et tanta ſigna alii plerique non attendebant, offenſi humili Christi ortu ac conditione. Meſſiam illi ſibi repræſentabant heroem domitorem orbis, omnium, quem unquam tulit terra, maximum principem, regemque regum ex regia Davidis ſtirpe; cum Christus Nazarenus crederetur, ubi habitabant ipsius parentes, atque id quidem etiam, *ut adimpleretur, quod dictum est per prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur b*). Sed miracula Christi Judæos attentos reddere debebant et ſtudioſos indagandi de eius ortu, quod facile erat a parentibus aut neceſſariis Christi reſcire, ubi et quomodo natus fuerit in Bethlehem. At illi hic ſimpliciter Jeſum Nazarenum et Galilæum reputabant, aſpernabanturque. Aliquando rapti in admirationem etiam dum ſolummodo loquentem audiebant, uti Jo. VII. 40. legitur: *Ex turba ergo illa cum audiſſent hos ſermones eius, dicebant: Hic est vere propheta. Alii dicebant: Hic est Christus. Quidam autem dicebant: Numquid*

a) *Joan. VII.* 30. *etc.* *b*) *Matth. II.* 23.

a Galilæa venit Christus? Nonne ſcriptura dicit: Quia ex ſemine David, et de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus? Dissensio itaque facta est in turba propter eum. Quod hic non agnoscunt, poterant a muliere gentili discere Matth. XV. 22. *Et ecce mulier Chananæa a finibus illis egressa clamavit, dicens ei: Miserere mei, Domine, fili David!* Poterant quinimo ab ipsis infantibus, moniti etiam a Christo, idem testimonium intelligere Matth. XXI. 15. etc. *Videntes autem principes ſacerdotum et ſcribæ mirabilia, quæ fecit, et pueros clamantes in templo, et dicentes: Hosanna filio David: indignati ſunt, et dixerunt ei: Audis, quid isti dicunt? Jesus autem dixit eis: Utique: nunquam legistis: Quia ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem?* Oportuit undique pervagatam fuisse etiam ultra Judæam notitiam de genere Christi ex ſtirpe David, mox nato Christo excitatam per magos adventus illius attentionem: maxime autem, quod ſceptrum de Juda tunc ablatum esset, apud Judæos. CAPUT LXXX.

At, licet Christus ferret indifferenter se filium David appellari, nunquam tamen provocavit ad genus ſuum Davidicum: quippe qui non venerat ad carnale hoc ſemen propagandum, atque ſolium David terrenum, regnumque huius mundi, quod

Caput LXXX. ſperabant Judæi, reſtituendum. Nec etiam ex latente iam per ſæcula in obſcuro Davidis familia in frequentibus tunc ſeditioſis tumultibus contra Romanum iugum, prodiiſse aliquando quiſquam legitur, qui amiſsum iam, toties in ſtirpe David reſtitutum iri promiſsum, tuncque ablato a Juda ſceptro omnino præſtolandum regnum David affectaret. Niſi forte huc accipi poſse videatur, quod fratres eius in Galilæa ab eo peterent, ut tranſiret hinc, et in Judæam vaderet: cauſam adiiciunt, *ut et discipuli tui videant opera tua, quæ facis a)*, ſigna nimirum et prodigia, quibus Chriſtus quidem miſſionem ſuam comprobabat, ſed longe ſublimiorem ac divinam, ad regnum ſuum, quod conſtituturus erat, æternum, cuius non eſſet finis, hic in Eccleſia militante auſpicandum, perennaturumque in Eccleſia triumphante in cœlis. Sic cum Joannes audiſſet in vinculis opera Chriſti mittens diſcipulos ſuos ad ſciſcitandum b): *Tu es, qui venturus es, an alium exſpectamus? Reſpondens Jeſus ait illis: Euntes, renuntiate Joanni, quæ vidiſtis et audiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes evangelizantur. Et beatus eſt, qui non fuerit ſcandalizatus in me.* Additur Luc. VII. 21. *In ipſa autem hora multos curavit a languoribus, et plagis, et ſpi-*

a) *Jo. VII.* 3. *etc.* b) *Matth. XI.* 2.

ritibus malis, et cæcis multis donavit viſum. Tum immediate antea, postquam evangeliſta narraverat ſuscitatum a mortuis filium viduæ de Naim, cum iam ad ſepulturam deferretur, ſubdit: *Et exiit hic ſermo in univerſam Judæam de eo, et in omnem circa regionem. Et nuntiaverunt Joanni diſcipuli eius de omnibus his.* Nempe Chriſtus non ex tabulis genealogicis ſe ex ſtirpe David regem terreſtrem, regnumque periturum huius mundi, aut filium David interiturum more humano exhibere voluit, ſed divinis virtutibus demonſtrare ſe Filium Dei poſt mortem ſponte ſuſceptam iam non amplius moriturum, atque cum filiis promiſſionis æternum regnaturum in cœlis. Dum interim filii carnis *cum tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum a).* Nempe ut Matth. XIII. 13. habetur: *Quia videntes non vident, et audientes non audiunt, neque intelligunt. Et adimpletur in eis prophetia Isaiæ dicentis: Auditu audietis, et non intelligetis: et videntes videbitis, et non videbitis. Incraſſatum eſt enim cor populi huius, et auribus graviter audierunt, et oculos ſuos clauſerunt: ne quando videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur, et ſanem eos.* Erat hæc iusta pœna peccati eorum, qui ad tot et tanta Chriſti miracula oculos claudebant, ut quem cæci

CAPUT LXXX.

a) *Joan. XII. 37.*

etiam agnoſcebant filium David, non agnoſcerent. Sic Matth. XX. 30. cæci illi clamabant: *Domine miſerere noſtri, fili David!* Nec increpati ceſſabant. Luc. XVIII. 36. etc. legitur, cæcus cum audiret turbam prætereuntem, interrogaſſe: *Quid hoc eſſet? dixerunt autem ei, quod Jeſus Nazarenus tranſiret. Et clamavit dicens: Jeſu fili David miſerere mei! Et qui præibant, increpabant eum, ut taceret. Ipſe vero multo magis clamabat: Fili David miſerere mei!* Videntes Nazarenum dicunt; cæcus filium David clamat. Dubium de ortu Chriſti etiam Nathanaeli obortum fuerat, dum ei Philippus diceret *a*): *Quem ſcripſit Moyſes in lege, et prophetæ, invenimus Jeſum filium Joſeph a Nazareth. Et dixit ei Nathanael: A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? Dicit ei Philippus: Veni et vide. Vidit Jeſus Nathanael venientem ad ſe, et dicit de eo: Ecce vere Iſraelita, in quo dolus non eſt. Dicit ei Nathanael: Unde me noſti? Reſpondit Jeſus, et dixit ei: Priusquam te Philippus vocaret, cum eſſes ſub ficu, vidi te.* Agnovit ex his verbis propheticum ſpiritum in Chriſto Nathanael, *reſponditque ei et ait: Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Iſrael!* Non dubitat, quam vili etiam conditione hic comparebat Chriſtus, quin Filius Dei ſit et rex Iſrael, antequam ullum miraculum ipſe patraſſet: hæc enim narrat evan-

a) *Joan. I. 45. etc.*

gelista, priusquam apud nuptias in Cana Galilææ primum miraculum feciſset; dum Judæi post tot et tanta ſigna hoc non crederent; et adhuc dum velamen est ſuper oculos eorum, ut ex myriadibus fraudulentæ ac dolis adsuetæ huius gentis vix unus ſit cum Nathanaele *vere Israelita*, qui dicat de Christo: *Tu es Filius Dei, tu es rex Israel!*

CAPUT LXXXI.

FLUMINA SPIRITUS SANCTUS.

In novissimo autem die magno festivitatis ſtabat Jesus, et clamabat, dicens: Si quis ſitit, veniat ad me, et bibat. *Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ.* Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus. Joan. VII. 37. etc.

Interpretes hic a Christo factam esse allusionem notant ad libationem aquæ, quæ facta fuit in hoc *novissimo die magno festivitatis* tabernaculorum ſcilicet, quo ſolo usitata erat, nullis aliis anni temporibus, ut in Horis Hebraicis annotavit Light- Fluenta gratiæ.

CAPUT LXXXI.

foot *a*); nec ritum ſolum ex ſcriptoribus Judaicis deſcribit, ſed etiam teſtimonia eorum affert, hauſtionem hanc ac libationem effuſionem Spiritus S. denotaſſe. Aqua hauriri ſolebat ex fonte Siloe in amphora argentea, ex cuius ventre aqua viva dici poteſt egreſſa. Bern. Lamy in Apparatu biblico cap. 6. de feſtis ſic rem explicat: „Septima die Judæi circumibant ſepties altare, idque vocabatur *Magnum Hoſanna.* Magnam in his omnibus Judæi præferebant lætitiam, potiſſimum in hauſtione et effuſione aquæ, qui præcipuus erat ritus feſti. Sacerdos quiſpiam cum aureo cantharo ibat ad fontem vel piſcinam Siloe, eumque aqua implebat; poſtea rediens in templum aſcendebat in altare, et peracto iugi ſacrificio matutino, poſtquam membra victimæ impoſita fuerant altari, hanc aquam libabat vino mixtam. Interea hymnis perſonabat templum, et magna lætitia perfundebantur Judæi. Viri Iſraelitæ maxime in feſto Tabernaculorum de ſpe venturi Meſſiæ ſoliti erant gaudere; cuius dona abundantia aquæ, quæ libabatur, figurabat. Hæc dum cogitabant, non mediocri afficiebantur lætitia. Ipſi tunc Judæi interpretantur de hac re locum illum Iſaiæ: *Hourietis aquas de fontibus Salvatoris.* Ad huncce locum et ad hos ritus Tabernaculorum alludebat Domi-

a) *Lightfoot in Evang. Jo. c. VII. T. II. p.* 631

nus." S. Cyrillus Alexandrinus in h. l. quæ de hoc feſto Levit. XXIII. 40. dicuntur aquas notanter deſumendas *de torrente*, ad Christum Dominum refert. „ Quod vero, inquit *a*), torrens Christus appelletur, etiam teſtabitur ſapientiſſimus ille noſter pſalmiſta ad Deum et Patrem dicens de nobis: *Filii hominum in tegmine alarum tuarum ſperabunt: inebriabuntur ab ubertate domus tuæ; et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Et ipſe alias ait in prophetis Dominus: *Ecce ego declino ad eos tanquam fluvius pacis, et ſicut torrens inundans etc.* Cum ergo lex inclytam ſanctam appellaverit primam ac ſeptimam feſti diem, magnam quoque illam denominavit divinus evangeliſta, ne morem qui apud Judæos inoleverat, ut veriſimile eſt, contemneret. Quam ob rem cum in cæteris eius feſti ſolemnibus inſtitutis torrentis quoque ſit mentio, Salvator profitetur, ſe illum eſſe torrentem, qui verbis legis pronuntiatus eſt: *Si quis ſitit*, inquit, *veniat ad me, et bibat.* Attende enim quomodo mentem Judæorum a ſcripturarum figuris ad veritatem traducat. Ego enim, inquit, ſum torrens a legiſlatore prædictus in his, quæ de feſto ſunt vaticiniis." S. Jo. Chryſoſtomus *b*), quod nuſpiam legantur verba *flumina de ventre eius fluent*,

a) *Lib. V. in Joan. c.* 1. *T. IV. p.* 468.
b) *Hom. LI. in Joan. n.* 1. *T. VIII. p.* 299.

Caput LXXXI. interpunctionem præmittendam putat poſt verba: *Qui in me credit*, *ſicut dicit ſcriptura:* ut illud *flumina de ventre eius fluent*, ſit Chriſti ſententia. Ventrem cor vocari dicit, flumina autem „ubertatem et copiam gratiæ. Ut, ait, alibi dicit ad mulierem Samaritanam nempe: *Fons aquæ vivæ ſalientis in vitam æternam*, id est, multam habebit gratiam. Alibi dixerat, *vitam æternam*, hic dicit *aquam vivam.* Vivam vocat eam, quæ ſemper operatur: Spiritus enim gratia cum in animam ingressa et ſtabilita fuerit, plus quam fons quivis ſcaturit; neque cessat, vel evacuatur, neque deſinit. Ut ergo ſimul, et nunquam deficere, et ineffabiliter operari denotet, fontem et fluvios appellat; non unum fluvium ſed innumerabiles. Et illic ſalientem pro inundante dixit. Quod clare percipiet, si quis ſapientiam Stephani, Petri linguam, Pauli vim consideraverit. Quo pacto nihil eos tulerit, nihil ſustinuerit; non populorum furor, non tyrannorum violentia, non dæmonum insidiæ, non quotidianæ mortes. Sed quasi flumina magno impetu fluentia, ſic omnia ſecum traxerint.“ Parallelus est hic ſermo in templo ad Judæos colloquio ad Samaritanam, quo eius animum a fonte Jacob, quem quantivis faciebant Samaritani, abduceret ad se fontem vivum gratiæ; uti hic Judæos ab umbris et figuris legis cæremonialis ad eandem evan-

gelii Christi gratiam, quam iam præcursor Domini, eisdem denuntiaverat Jo. I. 16. *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia: quia lex per Moysen data est, gratia, et veritas per Jesum Christum facta est.*

Caput LXXXII.

CAPUT LXXXII.

MULIER ADULTERA.

Adduxerunt ſcribæ, et Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam... tentantes eum, ut possent accusare eum. Jesus autem inclinans se deorsum, digito ſcribebat in terra. Cum ergo perseverarent interrogantes eum, erexit se, et dixit eis: *Qui ſine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Et iterum se inclinans, ſcribebat in terra. Audientes autem unus post unum exibant, incipientes a ſenioribus: et remansit ſolus Jesus, et mulier in medio ſtans. Erigens autem se Jesus, dixit ei: *Mulier, ubi ſunt, qui te accusabant? nemo te condemnavit? Quæ dixit: Nemo, Domine... Nec ego te condemnabo. Vade, et iam amplius noli peccare.* Jo. VIII. 3. etc.

Fugatis accusatoribus ſola redemtionis Christi particeps.

Admiranda hic imprimis est divina verborum Christi virtus, qua eos, quos frustra cum Joanne præcursore ſuo ad agnitionem miseræ conditionis humanæ, qua omnes

CAPUT LXXXII. in peccatis naſcimur et obſtricti ſumus, ad pœnitentiam vocavit, hic autem una ſententia: *Qui ſine peccato est veſtrum, primus in illam lapidem mittat*, conſtringit; ſed ita, ut agnitio reatus eos fuget, ac removeat a facie et gratia redemtoris, quam vero adultera ſola cum Chriſto remanens obtinet. Quam quæſo ſublimiter hic totum redemtionis myſterium est ob oculos poſitum?

Varii varia coniiciunt, quæ Chriſtus ſe inclinans in terram ſcripſerit, veluti geſtum ſacerdotis imitatus in huiusmodi iudicio, qui inclinare ſe, pulveremque pavimenti in templo colligere debebat, miſcendum aquæ amaræ ut Lightfoot in h. l. obſervat *a*), ſimulque notat, Chriſtum in aliis etiam obſervaſſe ordinem huius iudicii in veteri teſtamento uſitatum: narratque vulgarem opinionem gentis, uxorem ſuſpectam, rea ſit licet et adultera, ab aquis tamen amaris, quæ cum pulvere potandæ eſſent, intactam eſſe, nihilque nocumenti aut periculi contrahere, ſi modo maritus eius, qui eam accuſat, aliquando fuerit eiusdem criminis reus. Forte et maritus inter accuſatores aderat conſcientia peccati fugatus cum reliquis: de quibus omnibus benignisſimus Jesus non fruſtra ad mulie-

a) *Hor. Hebr. T. II. p.* 635.

rem: *ubi*, ait, *ſunt, qui te accusabant: nemo te condemnavit?* Qui et ipsi forte de eorum numero erant: Quod S. Hieronymus tenet, dicunturque quædam exemplaria græca habere, Christum peccata accusantium ſcripsisse, in eo se certe comprobatum dedit, quod ipsius ſententia: *Qui ſine peccato est veſtrum, primus in illam lapidem mittat*, instar fulminis, ac ſententiæ illius in iudicio extremo, eorum mentes, animosque perculerit, ut vultum iudicis ferre non possent. Mulieris autem in adulterio deprehensæ causa ſic est a Christo diiudicata, ut eius officium ferebat, qui non venit ut iudicetur, ſed ut ſalvetur mundus per ipsum: nec venit vocare iustos, ſed peccatores ad pœnitentiam; unde ei dixit, cum interrogata responderet, neminem se condemnasse, quod pertinet ad iudicium ſecundum legem veterem: *Nec ego te condemnabo. Vade, et iam noli amplius peccare:* ſecundum indulgentiam nimirum redemtionis nostræ in novo testamento in remissionem peccatorum per Christum, quem apud Deum ipsum, *ſed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum iustum*, qui nimirum plenam divinæ iustitiæ ſatisfactionem præstitit: *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi a)*.

CAPUT LXXXII.

a) *I. Joan. II. 1.*

Caput LXXXIII.

CAPUT LXXXIII.

CHRISTUS SE DEUM JUDÆIS PROFITETUR.

Abraham pater veſter exultavit, ut videret diem meum: vidit, et gaviſus eſt. Dixerunt ergo Judæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidiſti? Dixit eis Jeſus: *Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego ſum.* Tulerunt ergo lapides, ut iacerent in eum: Jeſus autem abſcondit ſe, et exivit de templo. Jo. VIII. 56. etc.

Jehova ens a se.

Nota hic conſuetam Chriſto Domino iurandi formulam, quam rebus maximi momenti præmittere ſolet: *Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego ſum.* Quæ verba tandem commoverunt Judæos, ut tollerent lapides in eum; cum ſupra de ſe, ceu luce mundi, et de Patre ſuo unde venerit, et a quo miſſus ſit, luculenta teſtimonia dediſſet *a*), palam eis denuncians, *quia moriemini in peccatis veſtris: ſi enim non credideritis, quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro b*). En ſimilem ſententiam, *quia ego ſum: Antequam Abraham fieret, ego ſum.* Hæc cauſa fuerit, quod interpres vulgatus verba

a) *Jo. VIII.* 12. 14. 16. 18. *b*) *Ib.* 24.

illa textus originalis τὴν ἀρχὴν, ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν verterit: *Principium, qui et loquor vobis,* quæ ſecundum usum linguæ græcæ certe hoc ſonant, se omnino id esse, quod se esse professus eis est, *lux mundi* a Patre procedens, prout ab eodem S. Joanne dicitur *a*): *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est etc.* ut nempe dixerat de verbo hoc divino æterni Patris Filio: *Omnia per ipsum facta ſunt.* Et ſupra: *Mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.* Sicut et hic dicitur *b*): *Et non cognoverunt, quia Patrem eius dicebat Deum. Dixit ergo eis Jesus,* non cessans, eis, quod esset ὅτι ἐγώ εἰμι divinam originem ac missionem a Patre inculcare: *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis, quia EGO SUM, et a me facio nihil, ſed ſicut docuit me Pater, hæc loquor: et qui misit me, mecum est, et non reliquit me ſolum: quia ego, quæ placita ſunt ei, facio ſemper. Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum.* Hos ut confirmet ad constantiam in fide, pergit eis ob oculos ponere Abraham, qui exultaverit, *ut videret*, ait *c*), *diem meum etc.* Tum vero præmisso ſolito iuramento ſuo palam iterum iam tertio divinam pandit originem ſuam, atque adeo Deum se demonstrans, *dixit eis Jesus: Amen, amen dico vobis: Antequam Abra-*

Caput LXXXIII.

a) *Jo. I. 9.* *b*) *Ib. VIII. 27. etc.* *c*) *Ib. 56.*

Caput LXXXIII. *ham fieret, ego ſum*, dum illi blaſphemantem lapidare volunt. Eſt hoc, quod idem S. Joannes initio ſtatim Evangelii ſui palam edicit: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum etc.* atque ita etiam primam ſuam epiſtolam auſpicatur: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, et manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ. Et vita manifeſtata eſt, et vidimus, et teſtamur, et annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem et apparuit nobis.* Quæ ſit autem vita æterna effato ipſo Domini Salvatoris idem denunciat in Evangelio XVII. 3. *ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, et quem miſisti Jeſum Chriſtum.* De quo idem item Joannes I. 4. *in ipſo vita erat, et vita erat lux hominum. Et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Hoc de Judæis præcipue dictum fuit, qui vitam in Chriſto nonniſi humanam agnoſcebant, et dum divinam ſibi tribuit, lapidare volunt blaſphemantem. Blaſphemantes vero cum Judæis Chriſtum Arianos inde etiam perſtringit S. Athanaſius, unde Judæi locum acceperunt, ut lapides in eum tollerent. „Quis Deum, inquit *a*), et Sapientiam, et Verbum Patris ea voce, cum de ſeipſo loquitur, utentem audiens, de veritate adhuc ambiget, nec ſtatim credet hoc verbo,

a) *Orat. I. contra Arian. T. I. p.* 417.

sum *a*), indicari Filium æternum eſſe, et ſine initio ante omnia ſæcula exiſtere?"

Nihil ſacratius erat nomine Dei tetragrammato *Jehova:* quo nomine denuntiari ſe Deus voluit per Moyſen liberatorem Iſraelitarum: Qui est, *miſit me ad vos:* Et: Ego sum, qui sum. Eodem redit illud Apoc. I. c. ὁ ὤν, ὁ ἦν, και ὁ ἐρχόμενος. Omnia vero ſimul complectitur nomen tetragrammaton Jehova, a verbi היה vel הוה sum, quo ens κατ' ἐξοχὴν initii et finis expers exprimitur, a ſe exiſtens: quod nimirum rationem ſuæ exiſtentiæ in ſe ipſo habet, ens neceſſarium, a quo res creatæ exiſtentiam habent ac entia contingentia ſunt et vocantur, quorum creationem Moyſes in Geneſi deſcribens eorum contingentiam mox primis verbis declarat *in principio creavit:* ubi *Elohim* vocatur Deus; proprium vero nomen Dei tetragrammaton Jehova ὁ ὤν qui est primum occurrit Ex. III. 15. a Deo Moyſi manifeſtatum. Diſcrimen autem iam ex Jo. I. notavimus, de Verbo, per quod mundus in principio factus eſt, dicente: *In principio erat.* Prima eſt apud Theodoretum hæc in Geneſin quæſtio: Quam ob cauſam ante omnium rerum opificium Moyſes narrationem de Deo non inſtituat? Reſpondet autem eos, qui hæc

a) *Exod. III.* 14.

CAPUT LXXXIII. docebantur, Israelitas nempe alias didiciſſe Deum, eſſe æternum. „Divinus enim, inquit a), Moyses, a Deo omnium miſſus in Ægyptum iuſſus eſt dicere tribulibus ſuis QUI EST, *miſit me ad vos.* Iſtud autem, QUI EST, æternitatem ſignificat. Hoc idem eſt quod de ſe dixit Chriſtus: *Antequam Abraham fieret, Ego ſum.*" „Cur vero, quærit S. Jo. Chryſoſtomus b), non dixit: Priusquam Abraham fieret, ego eram, ſed *ego ſum?* Sicut ipſius Pater illa uſus eſt voce, *ſum*; ſic et ille. Hæc quippe vox ſignificat ipſum perpetuo eſſe, ab omni liberum tempore. Ideoque ipſis blaſphema vox eſſe videbatur. Qui vero comparationem illam cum Abrahamo non ferebant, licet illa tanta non eſſet; ſi ſæpe ſe Patri coæquaſſet, an non illum perpetuo impetiiſſent?" Et Theophilactus Chryſoſtomi paraphraſtes: „Iſtud enim, inquit, verbum *ſum*, Deo proprie convenit, eoquod perpetuus ſit et ſempiternus, id quod hoc verbum ſignificat. Itaque ſicut et Pater eius in veteri lege hoc verbo utitur EGO SUM, QUI SUM, de Abraham vero dixit, *fieret*, merito tanquam corruptibili. Nam, qui factus eſt, et corrumpitur. Verbum autem *ſum*, divinam et ab omni corruptione alienam ſempiternitatem ſignificat: quapropter et Judæi exiſtimantes hoc blaſphemum

a) T. I. p. 1. b) Hom. LV. in Jo. n. 2. T. VIII. p. 324.

verbum, tulerunt lapidem contra eum. " Verbis: *Antequam Abraham fieret, Ego ſum*, parallela ſunt illa: *Si non credideritis; quia EGO SUM, moriemini in peccato veſtro*, ad demonſtrandam Verbi divinitatem.

CAPUT LXXXIV.

JUDÆI CÆCI.

In iudicium ego in hunc mundum veni: ut qui non vident, videant, et qui vident, cæci fiant. Et audierunt quidam ex Phariſæis, qui cum ipſo erant, et dixerunt ei: Nunquid et nos cæci ſumus? Dixit eis Jeſus: Si cæci eſsetis, non haberetis peccatum; *nunc vero dicitis: Quia videmus. Peccatum veſtrum manet.* Jo. IX. 39. etc.

Hæc a Chriſto dicta ſunt, poſtquam cæcus natus fuit illuminatus et corpore, et mente ad agnitionem Chriſti Filii Dei adductus. Contra miraculum hoc, omni ſtudio contentioneque examinatum et comprobatum nihil dicere poterant, quam quod ſabbato ſit perpetratum, luto facto ex ſputo, et linitis eo oculis. *Dicebant ergo ex Phariſæis quidam: Non eſt hic homo a Deo;*

Lucem reſpuentes.

CAPUT LXXXIV. *qui ſabbatum non custodit*, Christus autem antequam rem aggrederetur, *me oportet operari*, præfatur, *opera eius*, *qui miſit me donec dies est: venit nox*, *quando nemo potest operari. Quamdiu ſum in mundo*, *lux ſum mundi.* Sed lucem hanc tenebræ non comprehenderunt. *In propria venit*, *et ſui eum non receperunt a)*, Judæi nempe apud quos hactenus erat lux veræ religionis in Synagoga, cui iusto Dei iudicio ſubstituenda erat Eccleſia ex gentilibus congreganda. Est hoc, quod dicit Christus: *In iudicium ego in hunc mundum veni*, *ut qui non vident*, *videant*, *et qui vident*, *cæci fiant.* Ad hanc lucem clariſſimam ipsum ſolem iustitiæ excæcati ſunt Judæi, quia oculos clauſerunt, eumque reiecerunt: *Si non veniſſem*, *et locutus fuiſſem eis*, *peccatum non haberent*, alibi dicit Christus; estque quod hic *si cæci eſſetis*, ait, *non haberetis peccatum. Nunc vero dicitis: quia videmus*, habemus ſcientiam legis a Deo datæ, prophetiarum de Christo, et cognitionem veri Dei, cuius tamen Filium ad vos miſſum respuitis: *peccatum vestrum manet.* Hæc igitur Judæorum cæcitas, cum apertis oculis tanta ſigna et prodigia non agnoſcerent, iusta peccati pœna fuit, ut Jo. XII. 37. dicitur: *Cum autem tanta ſigna feciſſet coram eis*, *non credebant in eum: ut ſermo Isaiæ prophetæ impleretur*, *quem dixit: Domine*, *quis credidit auditui*

a) Jo. I.

noſtro, et brachium Domini cui revelatum eſt? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias: Excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum, ut non videant oculis, et non intelligant corde, et convertantur, et ſanem eos. Quæ repetens D. Paulus Act. XXVIII. 26. (copiosius Rom. XI. 7. edisserens) Judæis denuntiat: *Notum ergo ſit vobis, quoniam gentibus miſſum eſt hoc ſalutare Dei.* In quod horrendum iudicium incidisse deinceps identidem intelligimus etiam gentes luce evangelica abutentes: veluti exemplum habemus præ oculis in florentissima olim Orientali Ecclesia: paucis abhinc ſæculis item in magna Ecclesiæ Occidentalis parte; dum vicisſim in America accensum est fidei lumen: Nunc vero quale nobis ſæculo hoc, quod illuminatum dici amat, immineat fatum, divinare haud difficile est: atque timendum in tanta irreligiositate, irreligioneque peccatum illud, quod hodieque tenet excæcatum Judaicum populum. *Nunc vero dicitis: Quia videmus. Peccatum veſtrum manet.* Terret iam hæc Ecclesiam ex gentibus congregatam conditio, gentique Judaicæ olim funeſta Christi ſententia: *Erunt noviſſimi primi, et primi noviſſimi.*

Caput LXXXV.

CAPUT LXXXV.

CHRISTUS OSTIUM OVILIS, OSTIARIUS ET PASTOR.

Amen, amen dico vobis: qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt, et latro. Qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ovium. Huic oſtiarius aperit, et oves vocem eius audiunt, et proprias oves vocat nominatim, et educit eas. Jo. X. 1. etc.

Cæteri præter ipſum fures et latrones.

Mira et ſublimis eſt eorum, quæ capite hoc decimo in toto illo ſermone de oſtio, oſtiario, paſtore ovium et ovibus dicuntur, connexio cum iis, quæ ad finem capitis proxime antecedentis dicta modo attulimus, de cæcis illis, qui ſe videntes exiſtimabant, quales ex Judæis erant omnes illi, qui non agnoſcentes, veteri teſtamento antiquato novum eſſe ſubſtituendum in Chriſti ſanguine, pertinaciter ſuis ritibus, qui erant figura eorum, quæ per Chriſtum fuerunt complenda, inhæſerunt, nec Chriſtum ut Meſſiam ſuſceperunt, adhærentesque ei, ut apoſtatas legis habuerunt.

Orditur Chriſtus ſermonem ſeu ſimilitudinem ſolito ſuo iuramento, quod aſſerendis rebus maximi momenti præmittere

ſolebat: qualis profecto est noſſe verum et unicum ostium, quo in caulam dominicam intratur, et qui non intrat per illud ostium, fur est et latro; qui autem per illud intrat ostium, *paſtor est ovium, huic ostiarius aperit, et oves vocem eius audiunt.* Directus est hic ſermo proxime ad eos, qui ſe duces et pastores gerebant in ſynagoga, debuerantque oves ſuas ad verum ostium adducere, cui ostiarius aperiret, ovesque vocem eius audirent, qui *proprias oves vocat nominatim, et educit eàs etc. Hoc proverbium dixit eis Jeſus*, ut proſequitur evangeliſta *a*), *illi autem non cognoverunt, quid loqueretur eis. Dixit ergo eis iterum Jeſus: Amen, amen dico vobis, quia ego ſum ostium ovium. Omnes quotquot venerunt, fures ſunt et latrones, et non audierunt eos oves. Ego ſum ostium. Per me ſi quis introierit, ſalvabitur: et ingredietur, et egredietur, et paſcua inveniet.* Unicum obiectum et finis veteris testamenti perinde ac novi Christus erat, quem Joannes baptista præcurſor Domini medius inter utrumque veluti interiectus denunciavit agnum Dei, *qui tollit peccata mundi. Qui* (Apoc. XIII. 8.) *occiſus est ab origine mundi.* Nec poterat unquam ab ullo alio eſſe ſalus, niſi per Christum. Quicunque aliam felicitatis humanæ viam, âliud ostium ostentabant, *fures ſunt et latrones*, ſive per ſapien-

a) *Jo. X. 6.*

Caput LXXXV. tiam humanam ſeu philoſophiam, ſive per quamcunque ſuperſtitionem cultuum quorumcunque religionis ſectarumque diverſarum, in ipſo Judaiſmo, et opinionum de Meſſia, a ſcopo aberrantium, a recta nimirum in Chriſtum fide, verum Meſſiam: cum non deeſſent circa Chriſti præſertim tempora, qui ſe aut eum dicerent eſſe, aut eius cauſa turbas excitarent, quales Act. V. 36. etc. notantur fures et latrones. Erant porro, quando Chriſtus advenit et antea Judæi perinde ac gentiles, qui ſibi magiſterium uſurpabant paſtorum: fures et latrones, ſibi ſuiſque viribus ac virtuti tribuebant, quæ a primo lapſu in officiis quibusvis non niſi a vero paſtore Chriſto ſperari poterant, viribus et facultatibus ſauciatis per peccatum. Tantoque nequiores erant fures et latrones, quanto longius a ſalutari fine, qui circa genus humanum conſtitutus erat, aberrabant: quales erant, qui præſenti vita res humanas circumſcribebant, apud Judæos etiam Sadducæi, et quicunque apud eosdem ſe umbra legis continebant: Phariſæi, quatenus iuſtificatos ſe iactabant operibus legis, ſuiſque viribus, virtute, et ſapientia cum philoſophis omnibus.

Igitur quicunque alium quam Chriſtum paſtorem ſecutus eſt, ſequiturque, et *non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit*

aliunde, ille fur eſt et latro. Omnes quotquot venerunt fures ſunt, et latrones, et non audierunt eos oves. „Quid eſt hoc Domine? quærit hic S. Auguſtinus *a*): *Omnes quotquot venerunt?* Quid enim? Tu non veniſti? ſed intellige: *omnes quotquot venerunt* dixi, utique præter me. Recolamus ergo. Ante adventum ipſius venerunt prophetæ: nunquid fures fuerunt et latrones? abſit. Non præter illum venerunt, quia cum illo venerunt. Venturus præcones mittebat: ſed eorum corda, quos miſerat, poſſidebat. Vultis noſſe, quia cum illo venerunt, qui eſt ipſe ſemper? Carnem quippe accepit ex tempore. Quid eſt ergo ſemper? *In principio erat Verbum.* Cum illo ergo venerunt, quia cum verbo Dei venerunt. *Ego ſum*, inquit, *via, veritas, et vita.* Si ipſe eſt veritas, cum illo venerunt, qui veraces fuerunt. Quotquot ergo præter illum, *fures, et latrones*, id eſt ad furandum et occidendum.“ Proſecutus Ven. Beda S. Auguſtinum *b*): „Per ſe, inquit, venerunt, quia per eum miſſi non fuerunt, dicente apoſtolo: *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* Et quia per ſe venerunt, et non ſunt ab eo miſſi, *fures ſunt, et latrones.* Nam ante adventum Chriſti falſi fuerunt in populo Dei prophetæ, falſi doctores, ſicut poſt adventum illius ſub

a) *Tract. XLV. in Jo. n.* 8. *T. III. P. II. p.* 597.
b) *T. V. in cap. X. Joan. p.* 541.

CAPUT LXXXV. nomine christiano quam plurimi falſi fuerunt doctores, nec doctores, ſed ſeductores: non prædicatores, ſed prædatores, latrocinia exercentes, non ſanæ doctrinæ inhærentes, ſed falsæ, de quibus dictum est, *fures ſunt, et latrones*, id est ad ſurandum et occidendum venerunt. Sed non audierunt eos illæ, quæ veræ ſunt oves, non ſub pelle ovina lupinum cor abscondentes. Igitur qui ante adventum Christi prædicaverunt, eodem ſpiritu prædicaverunt, quo apostoli, et ſancti doctores, qui post adventum Christi veritatis viam mundo ostenderunt. Quotquot autem illo tempore crediderunt, vel Abraham, vel Isaac, vel Jacob, vel Moysi, vel aliis patriarchis, aliisque prophetis Christum prænuntiantibus, oves erant, et Christum crediderunt, non alienam vocem, ſed ipsius Christi audierunt. Nam iudex clamabat in præcone, dum præco iudicem annuntiabat venturum. Alii ſunt ergo, quos non audierunt oves, in quibus non erat vox Christi, errantes, falsa docentes, inania garrientes, vana fingentes, miseros ſeducentes, ſicut pseudoprophetæ, ſicut ſcribæ, et Pharisæi temporibus ipsius Domini. Hi ſunt, qui venerunt per se, et non ſunt a iudice missi."

O cæcos igitur Judæos, et duces cæcorum ſcribas et Pharisæos! qui toto cœlo verum ostium aberrarunt ipsi a Christo

alieni, et alios alienantes ambo in foveam ceciderunt ac interitum, fures et latrones ſeipsos et alios ſpoliantes ſalute ac vita. *Fur non venit*, pergit Christus, *niſi ut furetur, et mactet, et perdat. Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.* Vitam nimirum æternam in gloria cœlesti, quam morte ſua nobis comparavit pastor bonus. *Ego ſum pastor bonus. Bonus pastor animam ſuam dat pro ovibus ſuis . . . Ego ſum pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ a).* Talem vero illi non cognoverunt pastorem non credentes in Christum, ut postea eis dicit, dum moti hoc ſermone eum circumdederunt Judæi, et dicebant ei: *Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam. Respondit eis Jesus: Loquor vobis, et non creditis: opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me: ſed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis. Oves meæ vocem meam audiunt: et ego cognosco eas, et ſequuntur me. Et ego vitam æternam do eis b).* Gloriabantur illi de patribus ſuis Abraham, Isaac, et Jacob, qui erant pastores ovium, exspectabantque pastorem in eorum lege de fratribus ſuis ſuſcitandum, ſed quem pastores in præsepio agnoscunt, ſuperbi illi Messiam bellicosum domitorem populorum ſimilem ſui furem et latronem exspectarunt, ferro, igne graſſan-

Caput LXXXV.

a) *Joan. X. 11.* b) *Ib. 24.*

CAPUT LXXXV. tem, mitem paſtorem verum in lege promiſſum, ſicut ovem ad occiſionem ductum in Christo non agnoverunt, nec in ovile eius intrare volebant cum illis ovibus, quas dicit se alias habere, *quæ non ſunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et ſiet unum ovile, et unus paſtor. Propterea me diligit Pater: quia ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam. Nemo tollit eam a me: ſed ego pono eam a me ipso a).* Occiderunt quidem Christum Judæi, ſed quando ipse voluit: *Oblatus est quia ipse voluit*, ut de eo per Isaiam LIII. 7. prædictum est: *Sicut ovis ad occiſionem ducetur, et quaſi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os ſuum.* Et ipse per Jeremiam XI. 19. dicit: *Ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam* præfiguratus in agno paschali Judæorum, quia iuxta apoſtolum: *Pascha nostrum immolatus est Christus.* „Illic namque, ut cum S. Proclo Archiep. Constantinopolitano loquar b), gregarius agnus ex legis constituto ſacrificabatur; heic vero Christus ipse Agnus Dei offertur. Illic ovis de ovili; heic autem vice ovis ipse est *Paſtor bonus, qui animam ſuam poſuit pro ovibus ſuis* . . . Merito itaque Paulus clamabat: *Hæc autem in figura contingebant illis: ſcripta ſunt autem ad correptionem nostram, in quos fines ſæculorum devenerunt.* Erraverunt

a) *Jo. X.* 16. b) *Bibl. PP. T. IX. p.* 664.

plane Judæi, non agnoscentes veritatem: ſi enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſsent. Non intellexerunt miſeri typica oracula eatenus permanſura, quoad ipsa elucesceret veritas." Cæci qui Christum ostium ſimul ovilis et paſtorem bonum non agnoverunt.

Usitata ad rem erat vox *Oſtium* apud Judæos ad varias, in quas erant divisi, discernendas ſectas. Sic Hegesippus apud Eusebium narrat *a*), quosdam ex ſeptem ſectis, quæ apud Judæos erant, interrogasse Jacobum apoſtolum: „Quodnam esset ostium Jesu. Quibus ille, Jesum esse Salvatorem, respondit." Dumque poſtea ab eo vellent retractari doctrinam poſito in ſublimi faſtigio templi: „Doce nos, aiunt, quod ſit oſtium Jesu ſuffixi cruci. Tunc Jacobus edita voce iis respondit: Quid me interrogatis de Jesu filio hominis? Ipſe ſedet in cœlo a dextris ſummæ virtutis, et venturus eſt in nubibus cœli."

a) *Hist. eccl. lib. II. cap.* 23.

Caput LXXXVI.

CAPUT LXXXVI.

MYSTERIA SAPIENTIBUS ABSCONDITA.

Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, *quia abſcondiſti hæc a ſapientibus, et prudentibus, et revelaſti ea parvulis.* Ita Pater: quoniam ſic fuit placitum ante te. Matth. XI. 25. 26.

Revelata humilibus.

Ex evangelio Lucæ X. 21, diſcimus, hæc Chriſtum dixiſſe, dum ſeptuaginta duo læti, quod ſibi dæmonia ſubiicerentur, a miſſione ſua regreſſi ſunt, eos ad humilitatem revocando, exponensque qua in re ſibi complacere deberent: *Verumtamen*, inquit, *in hoc nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubiiciuntur: Gaudete autem, quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis. In ipſa hora exultavit Spiritu ſancto, et dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cœli et terræ etc.* Sic Chriſtus ſecundus ſuperbiæ Adam, (qua antiquus ſerpens cecidit, et protoparentes deiecit, affectantes ſcientiam, et eſſe ſicut dii) humilitatem parvuli oppoſuit. Una eſt diaboli et primi hominis culpa. In illa Chriſti ad diſcipulos, *cum gaudio* renunciantes, quod dæmonia ſibi ſubiicerentur, verba: *Videbam ſatanam, ſicut fulgur de cœlo cadentem*, Ven. Beda, „quia, inquit, diſcipulos de ſignorum ope-

ratione vidit elatos, eos terret; atque ad humilitatem revocat exemplo eius; qui primus ſuperbiendo cecidit.“ Exemplum ad rem imprimis illuſtre in virtute expellendorum dæmonum habemus in Paulo ſimplice S. Antonii diſcipulo, ad quem ipſemet deſperatos mittere ſolebat dæmoniacos, pro ſua humilitate; congreſſus nihilominus, ut S. Athanaſius in eius vita narrat cum philoſophis „Rationem expoſcentibus de fide noſtra in Chriſtum; nitentibusque argute de divinæ crucis prædicatione ridendi cauſa diſputare,“ quibus ille inter alia ad rem præſentem: „Nos certe, ait, chriſtiani non in ſapientia rationum græcarum myſterium habemus; ſed in virtute fidei, quæ a Deo nobis per Jeſum Chriſtum ſuppeditatur. Quod autem vera ſint quæ loquor, hinc comprobatur, quod nos licet literarum ignari, credimus in Deum, ac per eius opera ipſius in omnia providentiam novimus. Quod autem efficax ſit noſtra fides, hinc oſtenditur, quod nobis fide in Chriſtum innixis, vobis vero ſophiſticis diſceptationibus, veſtra quidem idolorum portenta abolentur, noſtra vero fides ubique propagatur. Vos argumentis et ſophiſmatibus neminem chriſtianorum ad paganiſmum traducitis; nos fidem erga Chriſtum docentes, veſtram minuimus ſuperſtitionem, agnoſcentibus omnibus Chriſtum

CAPUT LXXXVI. Deum eſse, et Dei Filium. Vos eloquentia veſtra Chriſti doctrinam minime impeditis; nos Chriſtum crucifixum nominantes omnes fugamus dæmones, quos ut Deos timetis. Et ubi ſignum crucis formatur, magica ars vires amittit, atque veneficia nihil virtutis habent.“ Sic, iuxta apoſtolum, *ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi* per virtutem crucis, quæ *eſt Gentibus ſtultitia.* Quæ præ oculis habens S. Antonius philoſophos primo mox aditu hoc ſtringit dilemmate: „Quid tantum ſuſcepiſtis laborem, o philoſophi, ut ſtultum hominem conveniretis? Reſpondentibus illis: Nequaquam ſtultum ipſum eſſe, ſed perquam prudentem, dixit: Si ſtultum adiiſtis hominem, illud certe inani labore: ſin me prudentem arbitramini, mihi eſtote ſimiles, cum quæ bona ſunt, imitari par ſit. Nam si ego vos adiiſſem, vos imitaturus eram: cum autem ad me vos acceſſeritis, mei ſimiles efficiamini: chriſtianus quippe ſum. Admirati illi abſceſſere: nam præter hæc viderant, dæmones Antonium reformidare.“ S. Athanas. l. c. T. II. opp. p. 849.

Apud Matthæum de ſeptuaginta diſcipulis, quæ Lucas *in ipſa hora* accidiſſe meminit, non leguntur; ſubduntur autem homologeſi Chriſti ea, quæ proximo capite tractabimus. Alibi diſcipulis ſuis Chriſtus

humilitatis exemplum ut vidimus, ſtatuit parvulum in medio eorum; aliud vero virginis matris iam primo incarnationis ſuæ momento nobis proponitur exemplum, exultantis in Deo ſalutari ſuo: *Quia*, canit, *reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. Nec est convenientius exemplum contra ſapientes illos et prudentes, a quibus abscondita confitetur Christus, quæ revelata ſunt parvulis, ipsa hac virgine Maria, quam *beatam*, prædicat cognata Eliſabeth, *quæ credidiſti, quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi a Domino a)*. Quæ turbata ad aſpectum angeli annunciantis ei: *Ecce concipies in utero, et paries filium*, quærit quidem: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognoſco?* Sed dum in tuto poſitam ſuam virginitatem intelligit; dumque Spiritum ſanctum audit, et virtutem Altiſſimi, nihil amplius ſibi indagandum existimat, illorum more de quibus D. Paulus *ſcriptum* refert *b*): *Perdam ſapientiam ſapientium, et prudentiam prudentium reprobabo.* Qualem nimirum ſe Paulus Christi apoſtolum mox declarat c), *non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ . . . Et ſermo meus, et prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, et virtutis: ut fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei. Sapientiam autem*

a) *Luc. I.* 45. b) *I. Cor. I.* 19. c) *Ib.* 1. 4. *etc.*

Caput LXXXVI.

loquimur inter perfectos: ſapientiam vero non huius ſæculi, neque principum huius ſæculi, qui destruuntur; ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abscondita est; de qua nimirum Christus *èxultans Spiritu ſancto a*), gratias agit Patri *quod abscondisti hæc a ſapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis.*

Dum nasceretur Christus Jesus, antequam usum linguæ haberet, iam habuit, quod exultaret Spiritu ſancto, ubi mysterium adventus ſui fuit manifestatum rudibus pastoribus, uti postea ſimplicibus piscatoribus, non ſcribis et Pharisæis aut aliis ſapientibus et prudentibus fuit revelatum. „Ubi pulchre, ut observat V. Beda *b*), ſapientibus et prudentibus, non insipientes et hebetes, ſed parvulos, id est, humiles opposuit, ut probaret se tumorem damnasse, non acumen.“ Et Theophylactus: „Occultavit autem, inquit *c*), mysterium Deus ab his, qui videntur esse ſapientes: non ut invidens, vel ut auctor imperitiæ, ſed ideo, quod non erant digni propter hoc, quod ſibi videantur esse ſapientes.“ Primum hoc est, quo Clemens Alex. Pædagogum ſuum informat L. I. c. 5, ſic inscribens *d*): „Quod omnes, qui in veritate versantur, ſint apud Deum pueri;“ et mox ſequens *e*): „Adversus eos, qui existimant,

a) *Luc. X.* 21. *b*) *L. III. in Luc. c.* 43. *T. V. p.* 331. *c*) *In Matth. c. XI. T. I. p.* 55. *d*) *p.* 84. *e*) *p.* 92.

puerorum et infantium appellationem ſignificare primarum diſciplinarum doctrinam.“ Ubi in h. l. ſic loquitur a): „Infantes nos ac parvulos Pædagogus, et magiſter appellans, qui ſapientibus, qui ſunt in mundo, ſumus aptiores ad ſalutem, qui ſapientes ſeipſos exiſtimantes, ſuperbia excæcati ſunt: et exclamat exultans, et mirandum in modum lætus, tanquam unacum infantibus balbutiens: *Recte, o Pater! quia ſic fuit placitum ante te.* Propterea, quæ abſconſa ſunt a ſapientibus, et intelligentibus huius, quod nunc eſt, ſæculi, revelata ſunt infantibus.“ Caput LXXXVII.

CAPUT LXXXVII.

JUGUM SUAVE, ET ONUS LEVE.

Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati eſtis, et ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, et diſcite a me, quia mitis ſum, et humilis corde: et invenietis requiem animabus veſtris. Jugum enim meum ſuave eſt, et onus meum leve. Matth. XI. 28. etc.

Quid ſuavius, quid tenerius eſſe poſſit hac voce Domini nos ad ſe invitantis, ut adleviet nos onere, quo qui magis gravan- Grave onus ac iugum gratia leve.

a) *Pag.* 96.

CAPUT LXXXVII. tur carnales homines minus proh dolor! ſentiunt; conqueſtus vero regius pſalmiſta: *Quoniam*, clamat *a*), *iniquitates meæ ſupergreſsæ ſunt caput meum: et ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.* Et ſapiens *b*): *Occupatio magna creata est omnibus hominibus, et iugum grave ſuper filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem ſepulturæ, in matrem omnium.* Agit hic generatim de calamitatibus et miſeriis humanæ vitæ, quæ *ſunt cum omni carne*, ut paulo poſt loquitur, *ab homine usque ad pecus, et ſuper peccatores ſeptuplum.* Sed hic, quod gravius eſt in omni humana miſeria, pondus corruptionis ſuæ animadvertere nolumus, ſub quo ingemiſcens apoſtolus: *Infelix ego homo*, exclamat, *quis me liberabit de corpore mortis huius.* Ideoque ad mutuum nos certamen hortatus Hebr. XII. 1. 2. *Deponentes*, inquit, *omne pondus et circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in auctorem fidei et conſummatorem Jesum;* qui nempe, ut audivimus, ad ſe nos vocat venire. Quem locum, ſimulque mox allatum apoſtoli præ oculis habens S. Athanaſius: „Hinc, inquit *c*), utilitate percepta divinus apoſtolus: ponderoſum et circumſtans peccatum appellavit. Quid enim gravius et damnoſius peccato? ut e contrario, quid levius et utilius virtute? Nam

a) *Ps. XXXVII.* 5. *b*) *Eccli. XL.* 1. *c*) *Ex Serm. ſeu Comment. in Matth. Bibl. PP. T. V. p.* 183.

peccatum, ut in proverbiis ſcriptum est *a*), vulneratos multos pondere deiicit, et unusquisque catenis peccatorum ſuorum ſtringitur. Virtus autem eos, qui se amplectuntur, vivificat, et in altum erigit, ut in proverbiis dicitur *b*): *Lignum vitæ est iis, qui ipsam amplectuntur*, et in Psalmis: *Suscipiens mansuetos Dominus.* Idcirco peccatum quidem ſymbolice cum talento plumbeo c) demersum conspicitur, quia ſui cultores in profundum inferorum deiicit. Quibus autem insunt carnis pondera et cupiditates, et iis, qui a peccato circumdantur, non liberum ſane est oculos ad Deum erigere. *Jugum* itaque ſervatoris *ſuave est, et onus eius leve.*" Hæc S. Athanasius, respiciens quoque prophetæ Zachariæ locum, quem in medium profert S. Hieronymus in h. l. „Gravia onera, inquit *d*), esse peccata, et Zacharias propheta testatur, dicens: *iniquitatem ſedere ſuper talentum plumbi.* Et Psalmista complorat: *Iniquitates meæ aggravatæ ſunt ſuper me.* Vel certe eos, qui ſub gravissimo legis iugo premebantur, ad Evangelii invitat gratiam. *Jugum enim meum ſuave est, et onus meum leve.* Quomodo levius lege Evangelium, quum in lege homicidium, in Evangelio ira damnetur? Qua

CAPUT LXXXVII.

a) *Prov. V.* 22. *b*) *Ib. III.* 18. *c*) *Zach. V.* 7. *d*) *Lib. II. in Matth. cap. XI. T. IV. p.* 45.

CAPUT LXXXVII. ratione Evangelii gratia facilior, quum in lege adulterium in Evangelio concupiſcentia puniatur? In lege multa præcepta ſunt, quæ apoſtolus non poſſe impleri pleniſſime docet. In lege opera requiruntur, quæ qui fecerit, vivet in eis.* In Evangelio voluntas quæritur: quæ etiamſi effectum non habuerit, tamen præmium non amittit etc."

S. Ambroſius de obitu Valentiniani oſtendit quomodo iugum ſuave eſſe poſſit, etſi grave ſit „propter onera disciplinæ, auſteritatem correctionis, pondus abſtinentiæ, reſtrictionemque laſciviæ; ſuave tamen eſſe fructu gratiæ, ſpe remunerationis æternæ, purioris conſcientiæ ſuavitate. Tamen, addit, iugum verbi ſuave dixit, onus obedientiæ leve; quoniam ei, qui iugum verbi patienti cervice ſuſceperit, disciplinæ onus grave eſſe non poterit." Et S. Jo. Chryſoſtomus in h. l. poſtquam exemplo apoſtolorum et teſtimonio apoſtoli Pauli docuiſſet: *Non eſſe condignas paſſiones huius temporis ad futuram gloriam*, „Chriſtus, inquit *a*), oſtendens nobis eſſe laborandum, non ſuavia tantum poſuit, neque oneroſa ſolum, ſed utraque. Nam et iugum poſuit, et ſuave illud vocavit, et onus nominavit, addiditque leve; ne illa ut laborioſa fugias, neve iſta ut admodum facilia deſpicias.

a) *Hom. XXXVIII. in Matth. n.* 3. *T. VII. p.* 429.

Quodſi poſt hæc omnia difficilis virtus eſſe tibi videtur, cogita difficiliorem eſſe nequitiam, quod ipſum ſubindicans non primo dixit: *Tollite iugum meum*, ſed præmiſit, *venite ad me omnes, qui laboratis et onerati eſtis*, declarans peccatum labori eſſe obnoxium, et onus eſſe grave ac geſtatu difficile, neque enim laborantes ſolum dixit, ſed etiam oneratos. Hoc etiam propheta dicebat, eius naturam deſcribens: *Sicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.* Illud quoque deſcribens Zacharias, ait, ipſum *plumbi talentum* eſſe. Idipſum experientia declarat. Nihil enim ita aggravat animam, ita mentem excæcat ac deprimit, ut conſcientia peccati. Nihil illam voluntatem ita ſublimem efficit, ut iuſtitiæ ac virtutis poſſeſſio *a*). " Exemplis deinceps rem proſequitur, quod primum iam docuerat exemplo Chriſti, quod ipſe ſe nobis propoſuit: *Diſcite a me, quia mitis ſum, et humilis corde*, eumque ſic loquentem inducit: „Quid enim times, inquit, ne minor habearis, si ſis humilis? Me reſpice et mea omnia a me diſcito, et tunc clare ſcies, quantum ſit bonum. Viden' quomodo omni ex parte ipſos inducat ad humilitatem? ab iis, quæ ipſe fecit, *diſcite a me, quia mitis ſum, et humilis corde;* ab iis, quæ ipſi lucraturi ſunt: *Nam invenietis*, inquit, *requiem animabus ve-*

a) *Ib. p.* 428.

Caput LXXXVII. ſtris; ab iis, quæ ipſis largitur *reficiam vos*, inquit; ab eo, quod onus leve effecerit: *Jugum enim meum ſuave est, et onus meum leve.*"

S. Auguſtinus, quo nemo gravius conditionem humanæ corruptionis, et miſeriæ adumbrare ſolet, velut extra ſe raptus exemplum, quod nobis hic in ſe Christus proponit, conſiderat: „Huccine, inquit *a*), redacti ſunt omnes theſauri ſapientiæ et ſcientiæ abſconditi in te, ut hoc pro magno diſcamus a te, quoniam mitis es, et humilis corde? Itane magnum eſt eſſe parvum, ut niſi a te, qui tam magnus es, fieret, diſci omnino non poſſet? Ita plane. Non enim aliter invenitur requies animæ, niſi inquieto tumore digeſto, quo magna ſibi erat, quando tibi ſana non erat. Audiant te, et veniant ad te, qui miſericordiam tuam et veritatem tuam requirunt, tibi vivendo, tibi non ſibi!" Adde eius Sermones LXIX. et LXX. in h. l. S. Matthæi *b*). Et apud Caſſianum collat. XXIV. cap. 22. 23. quibus continetur interrogatio et reſponſio, qualiter intelligendum ſit, quod in Evangelio dicitur: *Jugum meum ſuave eſt, et onus meum leve:* et cap. 24. dum amarum iugum, et grave onus ſentitur, quomodo contumaciæ noſtræ omnis culpa tribuenda ſit declarat.

a) *De Virginitate n.* 35. *T. VI. p.* 358.
b) *T. V. p.* 380. *etc.*

Siquidem nos Christus tam ſuaviter allicit, et invitat: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos*, onus nobis laborantibus auferendo, et ex nolentibus per naturæ nostræ pravitatem lubentes faciendo per gratiam Christi; in qua demonstranda totus est contra eius hostes Pelagianos S. Augustinus, quod iugum ſuave ſit, et onus leve, amori ac bonæ voluntati: „Nihil enim, inquit *a*), tam facile est bonæ voluntati, quam ipsa ſibi: et hæc ſufficit Deo. Quantumlibet ergo ſæviat iste mundus, verissime angeli nato in carne Domino clamaverunt: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis:* quia eius, qui natus erat, ſuave iugum est, et ſarcina levis. Et ſicut dicit apostolus: *Fidelis Deus, qui nos non ſinit tentari ſupra id quod possumus ferre, ſed facit cum tentatione etiam exitum, ut possimus ſustinere.*" Habemus exemplar, Christum ducem nostrum, ac *pontificem tentatum per omnia. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno b*). Sic S. Leo M. „Quia, nos hortatur *c*), ſicut apostolus ait: *Si compatimur, et conglorificabimur*, illa nobis currenda est via, quam ipse Dominus se esse testatus est, qui nobis, nullis operum meritis ſuffragantibus, et Sacra-

a) *Ib. pag.* 384 *b*) *Hebr. IV.* 15.
c) *Serm. XXXIV. in Epiph. V. p.* 34.

Caput LXXXVII. mento conſuluit, et exemplo: ut in adoptionem vocatos per illud proveheret ad ſalutem, per hoc imbueret ad laborem. Hic autem labor piis filiis et bonis ſervis non ſolum, nec asper, nec onerosus, ſed etiam ſuavis et lenis est, dicente Domino: *Venite ad me omnes etc.* Nihil ergo, dilectiſſimi, arduum est humilibus, nihil asperum mitibus, et facile omnia præcepta veniunt in effectum, quando et gratia prætendit auxilium, et obedientia mollit imperium.“

S. Gregorius M. occurrentem hic, ſeseque opponentem difficultatem omnem removet: „Si per charitatem, inquit *a*), pertingitur ad Deum, et per ſemetipsum veritas dicit: *Intrate per angustam portam.* Et rursum Psalmistam audio dicentem: *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* Atque in Evangelio Dominus dicit: *Jugum enim meum ſuave est, et onus meum leve:* quomodo ergo aut lata est charitas, si angusta porta? aut quomodo iugum ſuave est, et onus leve, si in præceptis Dei viæ duræ ſunt, quæ custodiuntur? Sed hanc nobis quæstionem citius ipsa veritas ſolvit; quia via Dei et inchoantibus angusta est, et perfecte iam viventibus lata. Et dura ſunt, quæ contra usum ſpiritualiter animo proponimus, et tamen onus Dei

a) *T. I. Lib. II. Hom. V. in Ezech. p.* 1359.

leve est, postquam hoc ferre cœperimus, ita ut pro amore eius etiam persecutio placeat, et omnis pro eo afflictio in mentis dulcedine veniat, ſicut ſancti quoque apostoli gaudebant, cum pro Domino flagella tolerabant, Ipsa ergo angusta porta amantibus lata fit: ipsæ viæ duræ ſpiritaliter currentibus molles et planæ ſunt, dum ſcit animus, se pro temporalibus doloribus gaudia æterna recipere, et hoc incipit, quod affligitur, amare." Sic S. Thomas in h. l. totam novam legem in mansuetudine ponit, per quam ordinetur ad proximum, et per humilitatem ad se et Deum; per charitatem nempe, quæ est plenitudo legis diffusa in cordibus nostris per Spiritum ſanctum, qua omnia levia fiunt, ut toties S. Augustinus, et S. Laurentius Justinianus in libro de obedientia tractans cap. 3. de lege charitatis, quæ tempore gratiæ per D. N. J. C. est data fidelibus, apposite ad rem ediſserit: „Hinc est, inquit *a*), quod huius mandati legislator, institutor et auctor Dominus videlicet noster Jesus Christus humanæ ſalutis desiderio flagrans vociferando aiebat: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis* ſub fasce legalium mandatorum, *et ego reficiam vos: Tollite iugum meum* charitatis *ſuper vos*, et *discite a me*, qua regula, quo ordine, qua mensura Deum et proximum diligere debeatis,

a) *T. II. p.* 305. *et* 306.

et invenietis requiem animabus veſtris: Jugum enim meum ſuave eſt, et onus meum leve. Nempe tam ſuave eſt, ut ſe baiulantem non permittat ſentire fatigationem; atque tam leve, ut de ſe oneratum portando ſuſtentet." Sic ſecundum S. Bernardum *a*): „Libet admirari, quam leve ſit onus veritatis. Num vere leve eſt, quod portantem non gravat, ſed levat? Quid eo levius onere, quod non ſolum non onerat, ſed et portat omnem, cui portandum imponitur?" Sic S. Franciscus Saleſius ut mellifluo doctori iungam paſtorem mellifluum, iugum Chriſti ſuave dicit, et onus leve, quia illud Chriſtus nobiscum, et pro nobis per gratiam ſuam portat. „C'eſt un joug dont Nôtre Seigneur porte une part, qui fait le tout, car il porte nous mêmes avec nôtre charge." L'eſprit de S. Fr. P. II. c. 4.

a) *Epiſt.* 72. *n.* 2. *T. I. p.* 73.

CAPUT LXXXVIII.

SAMARITANUS PROXIMUS NOSTER.

Homo quidam deſcendebat ab Jeruſalem in Jericho, et *incidit in latrones, qui etiam deſpoliaverunt eum: et plagis impoſitis abierunt ſemivivo relicto.* Accidit autem ut ſacerdos quidam deſcenderet eadem via: et viſo illo præterivit. Similiter et levita, cum eſſet ſecus locum, et videret eum, pertranſiit. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit ſecus eum: et videns eum, miſericordia motus eſt .... *Quis horum trium videtur tibi proximus fuiſſe illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit miſericordiam in illum. Et ait illi Jeſus: Vade, et tu fac ſimiliter.* Luc. X. 30. etc.

Officia charitatis.

Nihil divinius dici poteſt hac parabola nihilque ſublimius, qua ſimul Chriſtus legiſperitum tentantem conſtrinxit ad confitendum, quis vere proximus habendus ſit in officio charitatis contra notionem gentis, quæ non tantum ſolos amicos amandos, ſed ſolos contribules proximi loco exiſtimandos duxit; ſimul ſeipſum Chriſtus hic in exemplum propoſuit aſſumta humana

Caput LXXXVIII

Christus Samaritanus.

natura factus proximus et frater noster, ut apostolus illud Psalm. XXI. 23. *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Hebr. II. 11. etc. interpretatur: *Propter quam cauſam non confunditur fratres eos vocare, dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis: In medio Eccleſiæ laudabo te.* Moxque quam miſericordem et propitium ſeſe præſtiterit humano generi declarat: *Quia ergo pueri communicaverunt carni et ſanguini, et ipſe ſimiliter participavit eisdem: ut per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, id eſt, diabolum: et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti a)*; veluti iam Origenes *b)* concinne parabolam iſtam eſt interpretatus, explicatque, quomodo eum, *qui incidit in latrones, ſpoliatum, et ſemivivum relictum impoſuit iumento*, „id eſt, proprio corpori iuxta id, quod eſt hominem dignatus aſſumere. Iſte Samaritanus peccata noſtra portat, et pro nobis dolet, portat ſeminecem, inducit in pandochium, id eſt, in Eccleſiam, quæ omnes ſuscipit, et nulli auxilium ſuum denegat, ad quam cunctos provocat Jeſus dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati eſtis.* “ In eandem ſententiam poſtquam pluribus parabolam iſtam expoſuiſſet S. Ambroſius, omnia complexus „Ergo, concludit *c)*, quoniam nemo magis proxi-

a) Hebr. II. 14. *b) Hom. XXXIV. in Luc. T. III. p. 972.*
c) Lib. VII. Exp. Ev. ſec. Luc. n. 84. ſeqq. p. 1429. etc.

mus, quam qui vulnera noſtra curavit: diligamus eum, quasi Dominum, diligamus eum, quasi proximum; nihil enim tam proximum, quam caput membris: diligamus etiam eum, qui imitator eſt Chriſti: diligamus eum, qui inopiæ alterius corporis unitate compatitur. Non enim cognatio facit proximum, ſed miſericordia; quia miſericordia ſecundum naturam: nihil enim tam ſecundum naturam, quam iuvare conſortem naturæ." S. Auguſtinus *a*) tum alibi cum vero ſuccincte et articulatim de Chriſto explicat hanc parabolam lib. II. Quæſtionum evangelicarum Quæſt. 19.

Judæi et Samaritani ex Iſraelitica gente ac ſtirpe fratres erant, nec religione nisi ex parte diſpares, hinc tamen admodum averſi animo. Unde Jo. IV. 9. mirabatur mulier Samaritana: *Quomodo tu*, inquit, *Judæus cum ſis, bibere a me petis, quæ ſum mulier Samaritana? Non enim coutuntur Judæi Samaritanis.* Cauſam odii et diſſidii etiam ultra Roboami Salomonis filii ac Jeroboami (a quo ſciſſum eſt Iſraeliticum regnum) tempora infra IV. 20. indicat mulier: *Patres noſtri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis, quia Jeroſolymis eſt locus, ubi adorare oportet.* Unde revera, in opinione hac Judæorum, Chriſtus Samaritanus videri poterat vel

a) *T. III. P. II. p.* 255.

Caput LXXXVIII

maxime; quippe qui aboliturus erat non ſolum cultum templi Hieroſolymitani, ſed et ipſum templum ac urbem. Hinc quando Judæi Chriſto Jo. VIII. 48. inſultabant, improperabantque: *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes?* Samaritani nomen non detrectavit; iam autem Jo. IV. 21. quid futurum ſit de religione templi, mulieri Samaritanæ indicat dicens: *Quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jeroſolymis adorabitis Patrem.* Hic autem in parabola, quid æterni illius Patris Filius, Samaritanus iſte noſter, in humani generis gratiam egerit, ſtudioſe enumeratur in perſona lethaliter ſauciati hominis cuiusdam, qui in latrones incidit: quod nimirum accidit protoparenti, inſidiante diabolo in paradiſo, ſpoliato, et plagis impoſitis ſemivivo relicto in terris: ubi levita et ſacerdos viſo eo prætereuntes deſignant levitici ordinis ad ſananda vulnera noſtra ineptiam inertiamque; divinus autem Samaritanus noſter, *appropinquans*, Verbum divinum e cælo deſcendens, *alligavit vulnera eius, infundens oleum et vinum: et imponens illum in iumentum ſuum, duxit in ſtabulum, et curam eius egit a)*, in ſe ſuſcipiens vulnera et livorem noſtrum, quando apud nos fuit. *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: et diſciplina pacis noſtræ*

a) *Luc. X. 34.*

ſuper eum, et livore eius ſanati ſumus a). Quem respiciens prophetæ locum D. Petrus: *Qui*, inquit *b*), *peccata nostra ipse pertulit in corpore ſuo ſuper lignum: ut peccatis mortui, iustitiæ vivamus: cuius livore ſanati ſumus. Et* ut iam ex Origene audivimus, *altera die*, nempe in cœlum rediturus, *protulit duos denarios, et dedit ſtabulario* (πανδοχεῖ) *et ait, curam illius habe, et quodcumque ſupererogaveris, ego, cum rediero, reddam tibi.* Nihil ad Ecclesiam Catholicam, in qua toti humano generi per Adamum ſauciato locus est in diversorio ſeu nosocomio, designandam aptius est voce πανδοχεῖον ex πάν et δέχομαι unde πανδοχεύς hospitator: quo nomine hic ministri veniunt, quibus Christus curam Ecclesiæ commisit, dispensatoribus mysteriorum Dei, ſalutaris doctrinæ et ſacramentorum ad ſalutem fidelium. *Hic iam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur c*), ad promissam a Samaritano nostro, cum redierit, ut reddat unicuique iuxta opera ſua, recipiendam mercedem: *Curam*, inquit, *illius habe, et quodcumque ſupererogaveris, ego, cum rediero, reddam tibi.* Quod universim etiam ad omnia pietatis officia, quæ quisque proximo in necessitatibus ſpiritualibus et corporalibus iuxta totius parabolæ tenorem præstat, pertinet *d*): *Unusquisque, ſicut accepit gratiam,*

a) *Isai. LIII. 5.* *b*) *I. Petr. II. 24.*
c) *I. Cor. IV. 2.* *d*) *I. Petr. IV. 10.*

 in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.

CAPUT LXXXIX.

MARTHA ET MARIA.

Mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum ſuam: et huic erat ſoror nomine Maria; quæ etiam ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius. Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium: quæ ſtetit, et ait: Domine, non eſt tibi curæ, quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? Dic ergo illi, ut me adiuvet. Et reſpondens dixit illi Dominus: *Martha, Martha, ſollicita es, et turbaris erga plurima. Porro unum eſt neceſſarium: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Luc. X. 38. etc.

Exemplum contemplativæ et activæ vitæ.

Animadverte, quomodo Chriſtus Dominus ab obviis quibusvis rebus, a terrenis et tranſitoriis ad cœleſtia et æterna animum erigendi occaſionem arripiat, ſermonemque convertat ad doctrinam et officium ſuum, nos ad cœleſtem patriam revocandi. Maria ad pedes Domini ſedens intenta erat huiusmodi ſermonibus et doctrinæ; Martha

vero circa frequens miniſterium eo ſollicitior operoſiorque ſatagebat, quod Chriſtum Dominum hoſpitem haberet, cui epulas pararet; Maria animam paſcebat, corpore utpote excellentiorem; nec ſivit eam Chriſtus amoveri, quod ſoror Martha importune petebat: „Utique, ut apud Caſſianum Abbas Moyſes loquitur *a*), non ad vile opus, ſed ad laudabile miniſterium provocabat. Et tamen quid audit a Domino? *Martha ſollicita es, et turbaris erga plurima.* Paucis vero opus eſt, aut etiam uno: *Maria bonam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Videbis ergo principale bonum in theoria ſola, id eſt contemplatione divina Dominum poſuiſſe.“ Theoria vitam contemplativam innuit, quam etiam paſſim SS. PP. in Maria, ut in Martha activam adumbratam ſuſpiciunt, indigitatque S. Ambroſius in h. l. ceu philoſophiam chriſtianam, deſiderium ſeu ſtudium ſapientiæ. „Agat te, inquit *b*), ſicut Mariam deſiderium ſapientiæ; hoc enim maius, hoc perfectius opus. Nec miniſterii cura cognitionem verbi cœleſtis avertat, nec arguas eos, et otioſos iudices, quos videas ſtudere ſapientiæ; hanc enim ſibi cohabitantem Salomon pacificus adſcivit. Nec Martha tamen in bono miniſterio reprehenditur; ſed Maria, quod

a) *Collat. I. c. 8.* *b*) *Lib. VII. in Luc. T. I. p.* 1436.

Caput LXXXIX. meliorem partem ſibi elegerit, antefertur.“ Et S. Auguſtinus Serm. CIV. „Non tu, inquit de Martha *a*), malam: ſed illa meliorem.“ Hoc poſtea accipit de præſenti et futura vita in cœlis æterna, quod alias de vita contemplativa et activa, quo etiam referenda, quæ in eodem ſermone habet: „Remanſerunt ergo in illa domo, quæ ſuſceperat Dominum, in duabus fœminis duæ vitæ, ambæ innocentes, ambæ laudabiles: una laborioſa, altera otioſa; nulla facinoroſa, nulla deſidioſa. Ambæ innocentes, ambæ, inquam, laudabiles: ſed una laborioſa, altera otioſa: nulla facinoroſa, quam cavere debet laborioſa: nulla deſidioſa, quam cavere debet otioſa.“

Univerſim vero *unum* hic *neceſſarium* unicum omnibus propoſitum finem ultimum in proſequenda Dei gloria deſignat: quem quidem etiam Martha unice occupata in miniſterio Domini perſequitur; ſed beatior Mariæ ad pedes Domini ſors, parsque optima deprædicatur. Neque Martha ſatagens circa frequens miniſterium, *unum* illud neglexit *neceſſarium:* a quo quicunque recedunt, toto aberrant cœlo, quamcunque actionem non ad Deum tanquam finem ultimum virtualiter ſaltem, ut theologi loquuntur, referendo: pertinetque hoc *unum neceſ-*

a) *T. V. p.* 540.

ſarium ad omnes indiſcriminatim homines cuiuscunque conditionis: nec eſt iis ſingulare, qui miniſterio Domini ſingulariter ſunt deputati ſive in activa vita, ſive in contemplativa, quæ proh dolor! hodie paſſim habetur pro otioſa aut inutili, ab illis ſcilicet, qui unum neceſſarium finem ultimum omnium rerum poſthabentes, in rebus præſentibus ſiſtunt: ſalutem reipublicæ ita ſupremam ſtatuunt ad felicitatem huius vitæ, ut æternam in ſalute animæ ipſo Deo fine ultimo aliquando beatæ, poſthabeant. Divina ſapientia et bonitas infinita admirabili commercio coniunxit felicitatem noſtram cum ſua gloria; quam beati in cœlo, ipſo Deo ſummo bono æternum in viſione beatifica fruentes, ei ceu ultimo fini unice debitam reddunt. Sæpius S. Gregorius P. diſcrimen vitæ activæ et contemplativæ in Martha et Maria deſcribens, ſimul etiam aliam, quam notavimus, S. Auguſtini explicationem de altera vita iungens, obſervat, Marthæ curam non reprehendi, Mariæ vero etiam laudari: „Quia magna, inquit *a*), ſunt activæ vitæ merita, ſed contemplativæ potiora. Unde nec auferri unquam Mariæ pars dicitur: quia vitæ activæ opera cum corpore transeunt, contemplativæ autem gaudia melius ex fine convaleſ-

CAPUT LXXXIX.

a) *Lib. VI. in cap. V. Beati Job. n.* 61. *T. I. p.* 218.

cunt.“ Rem melius explicat in Ezechielem: „Ecce, inquit *a*), pars Marthæ non reprehenditur, ſed Mariæ laudatur. Neque enim bonam partem elegiſſe Mariam dicit, ſed optimam, ut etiam pars Marthæ indicaretur bona. Quare autem pars Mariæ ſit optima, ſubinfertur cum dicitur: *Quæ non auferetur ab ea.* Activa enim vita cum corpore deficit. Quis enim in æterna patria panem eſurienti porriget, ubi nemo eſurit? Quis potum tribuat ſitienti, ubi nemo ſitit? Quis mortuum ſepeliat, ubi nemo moritur? Cum præſenti ergo ſæculo vita aufertur activa: contemplativa autem hic incipitur, ut in cœleſti patria perficiatur: quia amoris ignis, qui hic ardere inchoat, cum ipſum, quem amat, viderit, in amore ipſius amplius igneſcit. Contemplativa ergo vita minime aufertur: quia ſubtracta præſentis vitæ luce perficitur.“ Deinceps etiam utramque hanc vitam exemplo Liæ, et Rachelis poſt S. Auguſtinum Lib. XXII. contra Fauſtum cap. 54. et 55. illuſtrat. Supra vero in eundem Ezechielem de eadem duplici vita *b*), quomodo in ipſis paſtoribus locum habet, atque coniungitur, copioſe tractat. S. Bernardus Serm. III. de Aſſumt. B. M. Mariæ contemplationi, Marthæque adminiſtrationi iungit Lazari pœni-

a) *Lib. II. Hom. II. n.* 9. *p.* 1324.
b) *Lib. I. Hom. III. n.* 9. *ſeqq. p.* 1195. *etc.*

tentiam in domo ſua ſeu monaſterio: ut alii vacent ſanctæ contemplationi, alii dediti ſint fraternæ adminiſtrationi, alii in amaritudine animæ ſuæ recogitent annos ſuos tanquam vulnerati dormientes in ſepulchris.

CAPUT XC.

FILIALIS FIDUCIA IN PATREM CŒLESTEM.

Quis ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? Aut piſcem: nunquid pro piſce ſerpentem dabit illi? Aut ſi petierit ovum: nunquid porriget illi ſcorpionem? *Si ergo vos cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris: quanto magis Pater veſter de cœlo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe?* Luc. XI. 11. etc.

Exemplo amici aut patris terreſtris.

Modo docuerat diſcipulos ſuos orare: *Pater noſter etc.* ut filialem erga Deum affectum, et fiduciam inſtillaret, modo idem hoc facit etiam adducta ſimilitudine amici, qui importunitate ſaltem amici petentis victus petita concedit: mox iterum ad affectum paternum redit, qui erga proles in natura relictus eſt, dum per corruptionem conge-

nitam cæteroquin mali ſumus; tanto magis ergo ſtringit instituta comparatio ad confidentiam noſtram erga Patrem cœlestem in petitionibus noſtris augendam: quarum prima ſemper esse debet, ut ille malitiam noſtram ex peccato adhærentem auferat, detque ſpiritum bonum petentibus se. Vides hic, quomodo Christus brevissimis his voculis *cum ſitis mali* nobis pandat labem illam corruptæ ex peccato primorum parentum naturæ noſtræ adhærentem: dum illi animum a Deo ſummo incommutabili bono, quem ipse se nobis in omnibus actionibus noſtris ultimum ac unicum finem, aliquando in ſeipso æternum fruendum, constituit, avertentes, affectantesque ſcientiam boni et mali, ipsi cum omnibus posteris ſuis mali effecti ſunt; ut tamen ex mox adiectis verbis: *Noſtis bona data dare filiis vestris* palam manifestetur eorum error, qui nihil boni affectus in natura relictum esse volunt, qua parentes v. g. filiis ſuis naturaliter (respectu quodam ſaltem hominibus etiam minus cogitantibus, ad Deum naturæ auctorem habito) bene volunt; cum eo nihilominus defectu eiusmodi actionis, si ad Deum ultimum finem ſummumque bonum non referatur, eaque naturæ noſtræ depravatione, ut ſuapte malum pro bono amplectamur.

Caput XC.

Huc decidimus, dum a ſummo bono defecimus: dum protoparentes noſtri ſerpenti potius, quam Deo, mortem, ſi de vetito fructu ederint, minanti, fidem adhibuerunt *a*): *Dixit autem ſerpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus, quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri: et eritis ſicut dii, ſcientes bonum et malum.* Quid vero viderunt comeſto fructu vetito, niſi nuditatem ſuam malæ concupiſcentiæ ſuæ teſtem. Hinc cum verecundatus Adam ſe abſconderet, dicit ei Deus *b*): *Quis enim indicavit tibi, quod nudus eſſes, niſi quod ex ligno, de quo, præceperam tibi, ne comederes, comediſti?* Sic affectando ſcientiam boni et mali, periit ſcientia veri boni.

Nos igitur petimus malum, quod bonum exiſtimamus, putamus panem, qui lapis eſt, piſcem, qui ſerpens eſt, ovum, quod ſcorpio. Negat Pater, qui filiis non poteſt dare niſi bonum, *ſpiritum bonum petentibus ſe.* „Si pater eſt, ſunt verba S. Petri Chryſologi *c*), non poteſt non amare: ſi amat, niſi quod bonum eſt dare neſcit: negat patrem, qui de patris ſuſpectus eſt largitate: ignorat ſe filium, quem data paterna ſollicitant: totum quod eſt pietatis excludit, qui ſalutare non credit, quidquid

a) *Gen. III.* 4. *b*) *Ib.* 11. *c*) *Serm. LV. p.* 86.

dederit pater: aut quomodo pater poterit filiis dare mala pro bonis, qui mala ſemper pro filiis paratus eſt ſustinere, qui pro filiis mortem non refugit? pericula non declinat?" Hoc nobis præstitit cœlestis Pater, in unigenito Filio ſuo: *Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit a)?* Et I. Jo. IV. 9. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium ſuum unigenitum miſit Deus in mundum, ut vivamus per eum.* Quod vero proprie patris in filium affectum designat: *In hoc est charitas: non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos, et miſit Filium ſuum propitiationem pro peccatis nostris*, idem dilectus Christo apostolus et Christus ipse apud eundem evangelistam, *Sic enim*, ait *b*), *Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Promisit is ſuis ante paſſionem ſuam Jo. XIV. 13. *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam: ut glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.*

a) *Rom. VIII.* 32. *b*) *Jo. III.* 16.

CAPUT XCI.

PHARISÆI, ET SCRIBÆ.

Super cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ et Phariſæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſervate: . . ſecundum opera vero eorum nolite facere: . . . Alligant enim onera gravia, et importabilia, et imponunt in humeros hominum: digito autem ſuo nolunt ea movere. *Omnia vero opera ſua faciunt, ut videantur ab hominibus.* Matth. XXIII. 2, etc.

Super cathedram Moyſis.

Cum ſupra apud eundem evangeliſtam Matthæum XVI. 11. Chriſtus monuiſſet apoſtolos, ut caverent a fermento Phariſæorum, et Sadducæorum, ipſi primum ſimpliciter, et ad literam verba acceperunt; moniti vero poſtea a Chriſto, non de pane rem eſſe, tunc intellexerunt, quia non dixerit cavendum ſibi a fermento panum, ſed a doctrina; quam tamen hic approbare videtur. Sed quomodo illam approbare potuit Chriſtus, qui fuit Meſſias in lege promiſſus a Moyſe et prophetis, et ad eum pleraque omnia in perſonis et factis, cæremoniis, et ritibus referebantur ceu figuræ in ipſo impletæ, quem tamen Phariſæis præcipue auctoribus et incentoribus

Caput XCI. reiecit ſynagoga? At evaneſcit omnis difficultas, si attendatur, quod hoc etiam in lege et prophetis præfiguratum, prædictum, et ſuapte conſequens erat, ut vetus cederet novo testamento, figura rei figuratæ, umbra veritati. Nemo Phariſæis avidius exspectabat Messiam, nemo acrius se erroribus aliarum ſectarum circa religionem Judaicam verſantibus opponebat ſecta hac Phariſæorum, de qua gloriatur coram Agrippa cauſam dicens Act. XXVI. S. apostolus Paulus: *Quoniam ſecundum certiſſimam ſectam noſtræ religionis vixi Phariſæus.* Igitur ſuper cathedram Moysis, ubi omnia ad venturum Messiam pertinebant, eratque ipsius Moysis apertiſſima de Christo prophetia, ſedentibus, id est eius doctrinam proferentibus, eique inhærentibus Phariſæis, faciendum iubet Christus, quæ dicunt. „Legis, ſunt verba S. Hilarii *a*), de ſe testantis gloriam prætulit, quæ imaginem in ſe futuræ veritatis expreſſerat. In omnibus enim Christi meditabatur adventum. Quidquid enim in ea continebatur, in profectum manifestandæ eius cognitionis aſſumtum est. Jubet igitur præceptis Phariſæorum obtemperari, quia in Moysi cathedra ſederint: iubet legis mandatis omnibus obediri, ſed a factis eorum atque operibus abstineri; ut mores hominum atque infidelitas, non

a) *Comment. in Matth. cap. XXIV. n.* 1. *p.* 724.

legis doctrina vitetur. Ipſi enim ſubdito ſibi populo graviſſima legis onera imponunt, ne digitum quidem ſuum contingendis ipsis admoventes. Quin etiam præcipiunt Dominum ex toto corde diligi, et proximum tanquam se amari; ipſi adverſum legis ſibi latæ teſtimonium, Deum in Christo paſſionibus perſequentes." CAPUT XCI.

At nihil obſtantibus illis, quæ Chriſtus contra ſe molituros præſciebat; nihilque moratus eorum in ſe blaſphemias, et maledicta, eorum auctoritatem ſuper cathedram Moyſis tuetur. „Sic ergo, inquit S. Jo. Chryſoſtomus *a*), illorum principatum conſtituit, etiamſi improbi eſſent; ita ut poſt tantam criminationem diceret: *Omnia quæcunque dixerint vobis, facite;* neque enim ſua dicunt, ſed quæ Dei ſunt, quæ per Moyſen ipſe præcepit. Animadverte quantum Moyſi deferat honorem, rurſus ſuam cum veteri lege concordiam oſtendens, quandoquidem hinc illos venerabiles reddit. *Super cathedram Moyſi ſederunt*, inquit; quia non poterat illos ex vita commendare, a quibus licebat, id facit, a ſede nempe, et a ſucceſſione. *Omnia* autem dum audis, ne totam legem eſſe putes; de cibis nempe, de ſacrificiis et ſimilibus. Quomodo enim hæc dicturus erat, quæ ante ſuſtulerat? A Chriſto commendati.

a) *Hom. XXII. in Matth. n.* 1. *T. VII. p.* 701.

Caput XCI. Sed omnia dicit, quæ mores emendarent, et corrigerent, quæque cum novæ legis præceptis congruerent, neque ultra ſinerent ſub iugo legis esse. Cur ergo non a lege gratiæ id constituit, ſed a lege Moysi? Quia ante crucem tempus non erat, hæc clare loquendi." Ven. Beda in hunc locum: „Per cathedram legis, inquit *a*), ostendit, et propter ſacerdotium nominisque dignitatem exhortatur populos, ut ſubiiciantur eis, non opera, ſed doctrinam conſiderantes. Horum in Ecclesia nunc exempla imitantur, qui ſubiectos docent, quod ipsi implere diſſimulant, vel peccantibus pondus pœnitentiæ adgravantes: ut aut necesse ſit pœnitentiam reiiciat, aut ſuſcipiens, dum ferre non valet, ſcandalizatus amplius peccet, quasi non melius ſit propter miſericordiam dare rationem, quam propter crudelitatem. De talibus recte ſubiunxit, quod ſarcinas ipsas uno digito non tangerent: hoc est, ne in minimis quidem ea perficerent, quæ contra morem patrum ſine fide, et gratia Jesu Christi et ſervare et ſervanda tradere præſumebant." Dum vero tam certam ac indubitatam fidem Christus ſuper cathedram Moysis ſedentibus ſtatuit in V. T. quanto maiorem ſecuritatem in N. T. illi, quibus cathedram ſuam commisit, nobis præſtare necesse est, qui

a) *In Matth. Lib. IV. c.* 23. *T. V. p.* 66.

ſumus *ſuperædificati ſuper fundamentum apoſtolorum et prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu a).* Contingere equidem poteſt, atque maxime in novissimis temporibus periculum eſt, ut idem, quod de ſcribis et Phariſæis, ſynagoga ad interitum vergente, dicit hic Chriſtus, etiam in eccleſiis particularibus paſtoribus et doctoribus locum habeat, ut tamen Chriſtus nunquam non ſit usque ad conſummationem ſæculi futurus cum ſucceſſoribus apoſtolorum, quidquid obganniant novi legisperiti onerantes homines oneribus, quæ portare non poſſunt: *Væ vobis legisperiti, quia tuliſtis clavem ſcientiæ. Ipſi non introiſtis, et eos, qui intrabant, prohibuiſtis b).* Caput XCI.

Nemo magis, quam rigidi, et tam ſeveri atque in obſervantiis minimis ſive ſecundum legem, ſive ſecundum traditiones ſuas tam ſtricti Phariſæi ad legem novam gratiæ anhelare debebant; ſed impediebat, ut hoc facerent, quod aliis quidem onera importabilia imponerent, ipſi autem ne extremo digito attingerent. Eſt hoc quod prius iam apud Matthæum, et alios etiam evangeliſtas caveri vel maxime vult Chriſtus: *A fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis c).* Hinc eſt, quod Chriſtus toties Hypocriſis damnata.

a) Eph. II. 20. b) Luc. XI. 52. c) Matth. XVI. 6. Marc. VIII. 15. Luc. XII. 1.

Caput XCI. ingeminat: *Væ vobis ſcribæ et Phariſæi hypocritæ a)*, auspicatus ab eo, quod maximum eorum erat crimen in Christum commiſsum, utpote quem non ipsi tantum aversabantur, ſed ab eo dudum ſperato Messia alios etiam avertebant. *Væ vobis ſcribæ et Phariſæi hypocritæ: quia clauditis regnum cælorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare b).* „Hi enim, ut in h. l. commentatur Origenes c), non contenti quod ipsi Domino non credebant, adhuc derogabant doctrinæ eius, et ſubvertebant omnem prophetiam ſcriptam de eo, et blasphemabant omne opus ipsius quasi falsum, et a diabolo fictum, dicentes: *Hic non eiicit dæmonia nisi in Beelzebub*, et homicidialiter se præbebant eis, qui crediderant Christo, et omni modo prohibebant aliquem ad christianitatem venire per quam introitur in regnum cœlorum. Claudebant illud, quod in conspectu omnium palam esset annuntiatum et prædicatum, et apud omnes homines conclamatum. Et claudentes regnum cœlorum, nec ipsi intrabant: nec enim volebant eum audire, qui dixit: *Si quis per me introierit, ſalvabitur, et intrabit, et exiet, et pascua inveniet.*“ Eodem pertinet quod paulo post dicitur d): *Væ vobis ſcribæ et Phariſæi hypocritæ: quia circuitis mare*

a) *Matth. XXIII. Marc. XII. Luc. XX.*
b) *Matth. XXIII.* 13. c) *T. III. p.* 839.
d) *Matth. XXIII.* 15.

et aridam, ut faciatis unum proſelytum: et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos; veritati nimirum evangelicæ ſemper magis patefactæ dum ceu veritati agnitæ reſiſtitur. CAPUT XCI.

Deinceps dum dicitur: *Væ vobis ſcribæ et Phariſæi hypocritæ!* ob ſuam hanc hypocriſin appellantur ſimiles ſepulcris dealbatis. Notatur apud Dionyſium Longinum atque ceu ſublime extollitur Leontini Gorgiæ dictum *a*), quod vultures „animata ſepulcra" appellantur ob rapacitatem, Phariſæi et ſcribæ ob hypocriſin *ſepulcra dealbata:* Poſtquam enim notati ſunt a Chriſto: *intus pleni rapina et immunditia b*), ſequitur: *Væ vobis ſcribæ et Phariſæi hypocritæ, quia ſimiles eſtis ſepulcris dealbatis, quæ a foris quidem parent hominibus ſpecioſa, intus vero plena ſunt oſſibus mortuorum, et omni ſpurcitia. Sic et vos a foris quidem paretis hominibus iuſti: intus autem pleni eſtis hypocriſi et iniquitate c*), quæ in verba Origenes l. c. „Sicut enim, ſcribit *d*), ſuperius ab intus pleni ſunt rapina et intemperantia, ſimiliter et hic pleni ſunt hypocriſi et iniquitate, quæ comparantur oſſibus mortuorum, immunditiæ univerſæ. Hypocriſis enim cum ſit aliqua ſimulatio boni; nihil quidem habet vitale ex eo bono, quod Sepulcra dealbatæ.

a) *De Sublimi Sect. II.* *b*) *Matth. XXIII.* 25.
c) *Ib.* 27. *d*) *Pag.* 844.

Caput XCI. ſimulat, oſſium autem (ut ſic dicam) virtutis illius, quam ſimulat, mortua iuſtitia eſt, aut caſtitas. Si enim ſapienter audiamus, quod vult oſtendere ſermo præſens, intelligimus quod omnis iuſtitia ſimulata, mortua iuſtitia eſt. Sicut homo mortuus videtur quidem homo, ſed non eſt homo; ſic et mortua caſtitas, nec caſtitas eſt. Mortua autem, quæ non propter Deum, ſed in ſimulatione propter homines ſit. Et quemadmodum eſt in mimis, qui perſonas ſuſcipiunt aliquorum, et non ſunt ipſi, quos ſimulant, ſed videntur: ſic qui iuſtitiam ſimulat, ſimulata iuſtitia eius non eſt iuſtitia, ſed videtur. Eſt enim non iuſtitia, ſed figmentum iuſtitiæ. Sic et in ſeductione caſtitas ficta, non eſt caſtitas, ſed videtur. Propter quod bene aſſimilantur huiusmodi homines ſepulcris dealbatis. A foris videntur iuſti in conſpectu eorum, qui neſciunt interiora conſiderare; ab intus autem pleni ſunt oſſibus mortuorum." Sic S. Chryſoſtomo etiam antiqui philoſophi ſunt ſepulcra dealbata: „Ac quemadmodum, inquit, ſi ſepulcra exterius dealbata aperueris, ſanie, fœtore corruptisque oſſibus plena videbitis, ita ſi philoſophi dogmata dictionis ornatu nudaveris, multa videbis abominatione plena." Ita ille ibi de Platone, de Phariſæis vero in h. l. locutus:

„Sed quod illi, pergit *a*), tales ſint, non ita grave eſt, tametſi grave eſt: quod vero nos, qui templa Dei fieri dignati ſumus, ſepulcra ſtatim tantum fœtorem emittentia efficiamur, hoc extremæ miſeriæ eſt; ubi Christus habitat, Spiritus ſanctus operatus eſt, totque myſteria peracta, hoc ſepulcrum eſſe, quanta illa miſeria eſt? quot fletibus et gemitibus dignum eſt, cum membra Chriſti ſepulcrum immundum fiunt? Cogita quomodo natus ſis, quibus dignatus fueris, quem acceperis amictum, quomodo templum firmum conſtitutus ſis, quam pulcrum, non auro ornatum, neque margaritis, ſed his longe pretioſiore Spiritu ſancto. Cogita neminem in urbe ſepulcrum conſtruere, ergo neque tu in ſuperna civitate comparere poteris etc.“

Caput XCI.

a) *Hom. LXXXIII. in Matth. n.* 3. *T. VII. p.* 710.

Caput XCII.

CAPUT XCII.

JUDÆI A CHRISTO AD PŒNITENTIAM PROVOCATI.

Aderant quidam ipſo in tempore, *nuntiantes illi de Galilæis, quorum ſanguinem Pilatus miſcuit cum ſacrificiis eorum.* Et reſpondens dixit illis: Putatis, quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia paſſi ſunt? *Non, dico vobis: ſed niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis etc.* Luc. XIII. 1. etc.

Periculo imminentis ruinæ.

Mirum videri poterat, qua ſententiæ conſequentia nuntios illos, et alios qui tunc aderant, ad pœnitentiam hortatus fuerit Chriſtus, dum ei nuntiaretur de Galilæis, *quorum ſanguinem Pilatus miſcuit cum ſacrificiis eorum;* nobis autem res in propatulo eſt, qui fatum gentis Judaicæ continuo præ oculis habentes, nec immemores excidii urbis Hieroſolymitanæ videmus vaticinii veritatem: *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.* Intelleximus ſupra Cap. XXXI. concordem Chriſti cum præcurſore Joanne prædicationem ad pœnitentiam agendam, quam hic repetit excidii periculo, quod, niſi pœnitentiam agerent, illis imminebat, ob oculos poſito; et quidem repetitis vicibus,

ad rem magis magisque eorum animis inculcandam, ut ſupra Cap. LXXVII. vidimus, Christum verba de gehennæ igne inextinguibili ter, quod hodie præsertim nunquam ſatis ingeminari potest, repetiisse: *ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur a).* Sic hic Christus exemplo Galilæorum utitur, *quorum ſanguinem Pilatus miscuit cum victimis eorum*, quod aptum cumprimis erat ad refricandam prophetiam Dan. IX. 26. etc. de LXX. hebdomadis ad finem vergentibus, quando dissipaturus erat *civitatem et ſanctuarium populus* Romanus, iam Judæa, dum hæc agerentur, potitus *cum Duce venturo* Tito, *et finis eius vastitas: et post finem belli ſtatuta desolatio . . . et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et ſacrificium etc.* Exemplo Galilæorum aliud Christus addens, iterum occasionem arripit Judæos ad pœnitentiam periculo imminentis excidii hortandi: *Sicut*, ait *b*), *illi decem et octo, ſupra quos cecidit turris in Siloë, et occidit eos: putatis quia et ipſi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Jerusalem? Non, dico vobis: ſed si pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis.*

Dicebat autem et hanc ſimilitudinem, pergit benignus Dominus rem edisserere, et ad captum pervicacis gentis revocare: *arborem*

a) *Marc. IX. 45.* *b*) *Luc. XIII. 4.*

CAPUT XCII. *ſici habebat quidam plantatam in vinea ſua*; Deus nimirum in populo Judaico: *et venit*, Christus Dei Filius in terram, *quærens fructum in illa, et non invenit. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce iam tres anni ſunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, et non invenio: ſuccide ergo illam: ut quid enim terram occupat?* Tres annos S. Hieronymus in cap. III. Habacuc legem, prophetas interpretatur, et Christum, qui vero etiam tres annos Judæis evangelium prædicavit ad pœnitentiam, tertioque anno proximis ante mortem diebus ficulneæ huic, quæ nil nisi inania folia ferebat, maledixit, et exaruit, ut infra videbimus, ſed non ſtatim excisa est, cultore vineæ dicente ad patremfamilias: *Domine dimitte illam et hoc anno, usque dum fodiam circa illam, et mittam ſtercora: et si quidem fecerit fructum: ſin autem, in futurum ſuccides eam.* Quod et factum est, frustra apostolis arefactam ficulneam hanc ad culturam evangelicam excolentibus, ut irrigata in Christo radice hac ſancta, rami inutiles pinguedine olivæ evangelicæ efflorescerent.

CAPUT XCIII.

CURA ERGA ISRAELITICUM POPULUM.

Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos, qui ad te missi ſunt, *quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, et noluisti?* Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico enim vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis: *Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Matth. XXIII. 37. etc.

Gallinæ exemplo.

Quid his ſuavius, teneriusque, atque paternæ pietati in filios ſibi peculiariter ſelectos convenientius, quid vero terribilius ſimul dici queat adversus Judæos iamiam reiiciendos, prout omnia quæ præcedunt, peculiarius quidem in ſcribas et Phariſæos incentores coriphæosque malorum a gente Judaica designatorum, quæve ſequuntur de excisione urbis et eversione gentis, declarant. *Et vos implete menſuram patrum vestrorum a)*, iam prædixerat eis, quod in eo erant, ut facerent ad complendam malitiæ ſuæ menſuram in ipsum Christum Dominum, qui iam tertio anno id egerat, discurrendo

a) *Matth. XXIII. 32.*

Caput XCIII. per regionem hac illac monitis et minis, verbis et factis, ſignis et virtutibus, ut eos ad ſe ſub alas ſuas per fidem revocaret, et ab imminenti ira divina liberaret, quemadmodum gallina, congregans pullos ſuos ſub alas, protegit et cuſtodit. „Sed fruſtra, utor verbis S. Hilarii *a*), hunc impendit affectum, et incaſſum. Tanquam gallina congregans pullos ſuos continere eos ſub alis voluit: terrena videlicet nunc et domeſtica avis factus, quodam corporis ſui tanquam alarum operimento, calorem ut pullis ſuis vitæ immortalis indulgens, et in volatum velut nova generatione producens. Pullis enim alia naſcendi ratio eſt, alia volandi. Nam primum ovorum teſtis tanquam clauſtro corporis continentur: dehinc poſtea parentis ſedulitate conſoti, exeunt in volatum. Huius igitur familiaris ac pæne terrenæ avis more, congregare eos intra ſe voluit: ut qui conditione naſcendi editi iam fuiſſent, nunc alterius generationis ortu, et calore confoventis renati, in cœleſte regnum tanquam pennatis corporibus evolarent. Quod quia noluerunt, domus eorum deſerta et vacua relinquetur, id eſt, indigni habitatione ſancti Spiritus erunt. Sua enim domus, non Dei eſſe cœperunt: et in contumacia infidelitatis manentes, uſque in id tempus eum non videbunt, quo in Domini

a) *Comment. in Matth. c.* 24. *p.* 728.

nomine revertentem, etiam invitæ infidelitatis confeſſione benedicent.“ Reſpicere hic S. Pater unice videtur ad applauſum illum, quo nón ita multò poſt ſuſcepturi erant Chriſtum Judæi triumphali illius ingreſſu in Hieruſalem, indignantibus vero ac frementibus primoribus, contra ipſos infantes acclamantes: ipſoque poſtea populo pro Hoſanna *Crucifige* vociferante: dum interim ſpes eſt, fore aliquando, ut gens Judaica converſa ad Chriſtum ſincero animo in ſecundo adventu ſit acclamatura: *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, particeps futura promiſſi patribus ſuis regni æterni in cœlo per prophetas. Sic S. Hieronymus in h. l. „Jeruſalem, ſcribit *a*), non ſaxa et ædificia civitatis, ſed habitatores vocat, quam plangit patris affectu, ſicut et in alio loco legimus, quod videns eam fleverit. In eo autem quod dicit: *quoties volui congregare filios tuos*, omnes retro prophetas a ſe miſſos eſſe teſtatur. Gallinæ quoque ſimilitudinem congregantis ſub alas pullos ſuos in cantico Deuteronomii legimus: *Sicut aquila protegit nidum ſuum, et ſuper pullos ſuos deſideravit; expandens alas ſuas ſuſcepit, et tulit ſuper pennas ſuas.*“ Hic veluti ab ovo rem repetit, primaque eiuſcemodi cura divinæ erga populum tutelæ ex Ægypto ſub alas ſuas velut aquila tunc in altum tollentis;

a) *Lib. IV. in Matth. T. IV. p.* 113.

ſed tenerior eſt gallinæ affectus erga pullos ſuos, fuitque Chriſti erga Judæos. „Hoc genus animantis, ſcribit S. Auguſtinus Quæſt. Evang. L. I. Quæſt. 36. *a*), magnum affectum in filios habet, ita ut eorum infirmitate affecta et ipſa infirmetur; et quod difficilius in cæteris animantibus invenies, alis ſuis filios protegens, contra milvum pugnet: ſic etiam mater noſtra Sapientia Dei, per carnis ſuſceptionem infirmata quodammodo: (unde et apoſtolus dicit: *Quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus*): protegit infirmitatem noſtram, et reſiſtit diabolo, ne nos rapiat. In qua defenſione, quod illa adverſus milvum conatur affectu, hæc adverſus diabolum perficit poteſtate." Cum timore et tremore oportet nos eo ardentius hodie Deum cum pſalmiſta implorare, ut nos cuſtodiat ut pupillam oculi ſui, et ſub umbra alarum ſuarum protegat quo longius et frequentius gementes per gentes et regna cernimus apud nos in Occidente quotidie magis deficere Eccleſiam, reiecta ſynagoga, ex gentibus a Chriſto congregatam per orbem: dum periculum eſt, ne, quod Judæos manſit in adventu Chriſti primo, nos perſequatur fatum ante adventum eius ſecundum, Judæis hactenus incredulis gentium defectum aliquando ſuppleturis in diſperſione gentium.

a) *T. III. P. II. p.* 246.

CAPUT XCIV.

IGNIS IN TERRAM MISSUS.

Ignem veni mittere in terram, et quid volo niſi ut accendatur? Baptiſmo autem habeo baptizari: et quomodo coarctor usque dum perficiatur? Luc. XII. 49. 50.

Amoris et ſufferentiæ pro Christo.

Supra retulimus SS. Patrum ſententias, quorum alii ignem, quem Christus dicit ſe veniſſe mittere in terram, amoris, alii perſecutionis, ſeu tribulationis interpretantur ignem: quæ vero utraque intime ac neceſſario in vita christiana coniuncta ſimul consiſtunt, prout hic duo apud Lucam coniunguntur, dum Christus mox ſubiungit: *Baptiſmo habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur?* Quo deſiderium ſuum moriendi pro nobis in paſſione ſua et ſanguinis profuſione, id enim proprie eſt βαπτιζειν in aqua vel ſanguine, indicare voluit iuxta illud, quod alibi dicit: *maiorem charitatem neminem habet, quam, ut animam ſuam ponat pro amicis ſuis:* quanto igitur maior eſt noſtri erga Deum obligatio, fuitque is ardentiſſimus omnium martyrum amor, et deſiderium, vitam dandi pro Christo; eoque, quo pro nobis baptizatus eſt, pro ipſo baptizari baptiſmo, quod perinde eſt

CAPUT XCIV. ac cum ipſo coarctari, usque dum id perficeretur. Mox erupit ardens hæc flamma, dum apoſtoli in die Pentecoſtes, iuxta effatum S. Joannis Baptiſtæ Matth. III. 11. baptizati *in Spiritu ſancto et igni*, timidi antea propter metum Judæorum, intrepidi iam procedunt, ultroque omnibus periculis necique ipſi ſe exponunt, læti ſanguinem pro Chriſto daturi, eorumque exemplo eodem Spiritu animati igneque inflammati innumeri martyres profundunt, ad dira quæque alacres currunt ſuppliciorum tormenta, proſiliuntque ardenter. Ex quibus inter primores S. Ignatius: „Quid vero, ad Smyrnæos n. 4. ſcribit, et meipſum morti dedititium tradidi, ad ignem, ad gladium, ad beſtias? Verum qui prope gladium, prope Deum eſt: qui cum beſtiis, cum Deo eſt. Tantum in nomine Jeſu Chriſti, ut ſimul cum illo patiar, omnia ſuſtineo." Ad Romanos, quo ducebatur, obiiciendus beſtiis, timebatque, ne forte mortem eius impedirent chriſtiani: „Ego, inquit n. 4. Eccleſiis ſcribo, omnibusque mando, quod pro Deo ultro et libens morior, ſiquidem vos non impediatis. Sinite me ferarum cibum eſſe, per quas Deum conſequi licet. Frumentum ſum Dei, et per ferarum dentes molar, ut purus panis Chriſti inveniar. Feris potius blandimini, ut mihi ſepulchrum fiant, nihilque mei corporis relinquant, ne

postquam obdormiero, gravis alicui fiam.“ Caput XCIV.
Et mox n. 5.: „Veniam mihi date: quid mihi prodest, ego novi. Nunc incipio diſcipulus esse. Ignis, crux, ferarum catervæ, lacerationes, diſiunctiones ossium, concisio membrorum, totius corporis contusiones, dira diaboli tormenta in me veniant, ſolummodo ut Christum consequar. Nihil mihi proderunt mundi voluptates, neque huius ſæculi regna. Præstat mihi in Christo Jesu mori, quam finibus terræ imperare. *Quid enim prodeſt homini, si mundum universum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?* Illum quæro, qui pro nobis mortuus est.“ Et paulo post totus iam conflagrans igne illo amoris, de quo Paulus ad Rom. VIII. 35. etc. *Quis ergo nos ſeparabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? (ſicut ſcriptum est: Quia propter te mortificamur tota die: æstimati ſumus ſicut oves occisionis) ſed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos*, idem S. martyr ad eosdem Romanos n. 7. „vivens ſcribo vobis, ait, mori desiderans. Meus amor crucifixus est.“ Hac una brevi ſententia ſimul in compendio, et tota ſua amplitudine expressa habetur ignis natura, quem Christus venit mittere in terram, amoris et passionis in Christo et pro Christo ardor, et contentio, quomodo S. Chrysostomus eandem Christi ſententiam

CAPUT XCIV. versans, *Ignem veni mittere in terram*, post D. Paulum promiscue primævæ Ecclesiæ christianos describit: „Qui, inquit *a*), et pecunias, et possessiones, et curam, et occupationes omnes ſæculares repudiarunt, totosque se Deo consecrarunt, nocte dieque ſemper verbi doctrinæ attendentes. Hæc est enim ſpiritualis ignis natura, ut nullam rerum ſæcularium cupiditatem relinquat, ſed in alium transferat amorem. Quapropter talium rerum cupidus, etiamsi omnia profundere, etiamsi voluptatem et gloriam irridere, ipsamque animam tradere oporteat, cum magna facilitate hæc omnia perficit. Nam illius ignis ardor in animam ingressus torporem omnem abiicit, et penna leviorem efficit eum, quem invadit, ita ut omnia, quæ ſub aspectum cadunt, despiciat. Qui talis est in perpetua compunctione deinde perseverat, fontes lacrymarum frequenter effundens, multamque inde voluptatem excerpens. Nihil quippe Deo ita conglutinat et coniungit, ut lacrymæ huiusmodi etc.“

a) *Hom. VI. in Matth. T. VII. p.* 94.

CAPUT XCV.

NEMO SE DE VOCATIONE SUA EFFERAT.

Erunt noviſſimi primi, et primi noviſſimi: Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi. Matth. XX. 16.

Terribilis hæc Christi Domini ſententia ceu epiphonema adiicitur parabolæ de operariis, quos paterfamilias in vineam diverſis horis miſit ad laborandum, quibus omnibus dum ille eandem omnibus mercedem in fine diei dediſſet, murmurabant qui prioribus horis vocati, portarunt pondus diei et æstus, dum æquiparabantur illis in mercede, qui noviſſimi vocati *una hora fecerunt:* unde ſunt, qui parabolam ad ipſos apostolos pertinere existiment, quos inter æmulatio quædam, et contentio fuit aliquando de primatu, atque etiam postea de laboribus apostolicis, quos Paulus certe noviſſimus vocatus plurimos ſuſcepit. Huic quidem interpretationi non congruunt verba illa: *multi ſunt vocati, pauci vero electi,* ſi præciſe apostoli ſpectentur etiam cum proditore Juda, communiterque accipitur parabola de diverſis ætatibus ab origine mundi, quibus vocati ſunt a Deo homines, noviſſime per Christum vocatis gentibus; unde

Noviſſimi primi, et primi noviſſimi.

Caput XCV. Judæi reiecti ex primis facti ſunt novissimi. Interpretationem hanc quidem ex parte extra dubium ponunt ea, quæ Lucæ XIII. in eandem ſententiam ſine parabola dicta in Judæos leguntur: *Cum videritis Abraham, et Isaac, et Jacob, et omnes prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras. Et venient ab Oriente, et Occidente, et Aquilone, et Austro, et accumbent in regno Dei. Et ecce ſunt novissimi, qui erunt primi, et ſunt primi, qui erunt novissimi.* Observandum nihilominus apud Matthæum XIX. 30. et apud Marcum X. 31. verba: *Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi* connecti responso Christi ad interrogationem Petri: *Ecce nos reliquimus omnia et ſecuti ſumus te.* Neque ullus esse debet, quam intime etiam videatur cum Christo unitus, qui non ſalutem ſuam cum timore, et tremore operetur: nullus etiamsi apostolus ſit, aut quocunque in ſtatu vivat, de eo, vel de ſuis operibus confidere, aut Judæorum se præsumat exempló efferre, timens ne ob ſuperbiam Pharisaicam fiat ex primo novissimus.

Ad pleniorem vero horum omnium intelligentiam notanda est connexio capp. Matth. XIX. et XX. quæ in textu originali notatur ὁμοία γάρ ἐςιν etc. *Simile enim est regnum cœlorum etc.* post illa ipsa verba: *Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi*

primi; qui eſt verſiculus ultimus capitis decimi noni, poſt quem mox ſequitur capite ſequenti parabola de patrefamilias, in cuius fine eadem habetur ſententia: *Sic erunt noviſſimi primi etc.* addito autem epiphonemate: *Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi.* Dum autem in parabola omnes vocati, ſeu conducti leguntur in vineam; quandoquidem ſinguli accipiunt denarium, videntur etiam ſinguli electi. In parabolis vero ſcopus eſt attendendus, miſſis illis, quæ ſunt adiectitia ad comparationem ineundam. Scopus autem ex toto ſermonis contextu inde repetendus eſt, dum *a*): *Ecce unus accedens ait illi* (Chriſto): *Magiſter bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* Cui cum Chriſtus reſpondiſſet: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Reſpondit adoleſcens: *Omnia hæc cuſtodivi a iuventute mea, quid adhuc mihi deeſt? Ait illi Jeſus: Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis theſaurum in cælo: et veni ſequere me. Cum audiſſet autem adoleſcens verbum, abiit triſtis: erat enim habens multas poſſeſſiones.* Arripit hinc occaſionem Chriſtus diſcipulis ſuis dicendi, quam difficile ſit divitem intrare in regnum cœlorum, ita ut facilius ſit *camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in regnum cælorum. Auditis autem his, diſcipuli mirabantur valde dicentes: quis ergo poterit ſalvus eſſe?*

a) *Matth. XIX.* 16.

Caput XCV. præludentes velut ad illud: *Multi ſunt vocati, pauci vero electi;* ſecundum gratuitam nimirum electionem Dei per Chriſtum: *Qui nos*, iuxta apoſtolum *a*), *liberavit, et vocavit vocatione ſua ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum, et gratiam, quæ data est nobis in Chriſto Jesu ante tempora ſæcularia.* Hoc non attendebant, qui in parabola murmurabant. Quales erant Judæi confiſi in operibus ſuis et gratiam Chriſti non agnoſcentes, qualesque omnes illi ſunt, qui ſibi attribuunt ſuisque viribus, quod effato Chriſti *apud homines hoc impoſſibile eſt: apud Deum autem omnia ſunt poſſibilia. Tunc reſpondens Petrus dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, et ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis?* Cui et omnibus, qui reliquerint domum vel fratres etc. centuplum promittit, quod ad hoc ſæculum apud Marcum aperte relatum, hic apud Matthæum etiam eo pertinere declarat, quod ſequitur: *et vitam æternam poſſidebit: Multi autem*, additur, *erunt primi noviſſimi, et noviſſimi primi*, uti in parabola ad redargutionem operariorum, *qui arbitrati ſunt, quod plus eſſent accepturi*, de ſuis operibus ſuperbientes, *qui portavimus pondus diei et æſtus.* Aliter ſe Paulus *b*) *abundantius omnibus laboraſſe* dicit: *Non ego autem*, addit, *ſed gratia Dei mecum.* A qua fide alieni erant operarii vineæ; necdum etiam

a) *II. Tim. I.* 9. *b*) *I. Cor. XV.* 10.

plene tunc imbutus Petrus, ut Paulus poſtea dum dicit: *Gratia Dei ſum id quod ſum, et gratia eius in me vacua non fuit.* Singularis eſt Theophilacti interpretatio, prout apud Marcum X. 29. etc. habetur Chriſti illa promiſſio: *Nemo eſt, qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, propter me, et propter evangelium, qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc, domos, et fratres, et ſorores, et matres, et filios, et agros, cum perſecutionibus, et in ſæculo futuro vitam æternam. Multi autem erunt primi noviſſimi, et noviſſimi primi.* „Hæc omnia, ſunt verba Theophilacti *a*), in perſecutionibus poſſident ſancti, hoc eſt, quod dicit *cum perſecutionibus etc.* id eſt, perſecutionem paſſi et male affecti, atque afflicti. Unde et qui ultimi in hoc ſæculo videntur propter afflictiones et perſecutiones, erunt primi propter ſpem in Deum.“ Conſequenter vero hæc dicuntur ad allatum ex S. Marco locum de illis, qui relictis omnibus Chriſtum ſecuti centuplum nunc in tempore percipiunt cum perſecutionibus: quibusve mundus crucifixus eſſe debet, et ipſi mundo; ſecus vero merito nos terrent Chriſti verba: *Multi autem erunt primi noviſſimi.* Vid. Cap. LIII. de anguſta porta.

a) *T. I. p.* 226.

CAPUT XCVI.

EXCUSATIONES INVITATORUM AD NUPTIAS.

Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos. Et miſit ſervum ſuum hora cœnæ dicere invitatis, ut venirent, quia iam parata ſunt omnia. *Et cœperunt ſimul omnes excuſare. Primus dixit ei: Villam emi, et neceſſe habeo exire, et videre illam: rogo te habe me excuſatum, etc.* Luc. XIV. 16. etc.

Rebus præſentis ſæculi abſtractorum a cœna magna Christi.

Iterum recurrit ſimilis parabola ſub ſchemate nuptiarum Matth. XXII. filii regis, unigeniti nimirum Filii æterni Patris Jeſu Christi [qui ſponsus a ſeipſo et a Joanne baptista vocatur *a*)] ultimis vitæ ſuæ diebus contra Judæos dicta, cum iam de morte eius conſpiraſſent, uti etiam postquam Christum crucifixiſſent, in mortem discipulorum eius conſpirarunt. Quare in parabola illa nuptiarum dicuntur tenuiſſe ſervos, et contumeliis affectos occidiſſe. In parabola vero cœnæ magnæ Luc. XIV. de nulla violentia facta ſervis invitantibus fit mentio; ſed excuſationes afferuntur, quæ quot die etiam apud nos christianos locum habent; et quis est, qui invitatus ad cœ-

a) *Jo. III.* 29.

nam hanc magnam in Eccleſia, ad Euchariſtiam, ad cœleſtem vitam, non huiusmodi excuſationem aliquando præſeferat, quas affert evangeliſta: *Et cœperunt ſimul omnes excuſare? Primus dixit ei: Villam emi, et neceſſe habeo exire, et videre illam: rogo te habe me excuſatum.* Urbana excuſatio, qua etiam alter, qui iuga boum emit, uſus eſt, quæque inimicum et adverſum adeo non prodat animum, apud illos etiam frequens et obvia, qui cenſentur chriſtiani minus mali, ſed tamen curas terrenas præferunt cœnæ Salvatoris! Alius dixit: *uxorem duxi, et ideo non poſſum venire.* Animadverte duriorem excuſationem: *non poſſum venire*, propriam illis, qui carnis voluptatibus violentius abſtrahuntur! Sive vero cœna illa magna ad præſentem, ſive ad cœleſtem referatur vitam, ſunt tria hæc excuſationum genera, quibus homines revocantur, si ſunt a vera Eccleſia extorres, ne ad eam recurrant, quod nimirum proh dolor frequens eſt; aut ſiquidem iam ſunt in Eccleſia, abſtrahuntur præſentis ſæculi rebus a cœna illa magna in cœlis. „Putamus, ſunt verba S. Auguſtini Serm. CXII. de verbis Evangelii Luc. XIV. *Homo quidam fecit cœnam magnam etc. a)* non iſtæ ſunt excuſationes, quæ impediunt omnes homines, qui ad iſtam

a) T. V. p. 564.

Caput XCVI. cœnam venire detrectant?" Poſtquam multis S. Pater excuſationes explicaſſet, tandem omnia recolligens ad illud I. Jo. II. 16. *Quoniam omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, et concupiſcentia oculorum, et ſuperbia vitæ.* „Concupiſcentia carnis ait: *uxorem duxi.* Concupiſcentia oculorum: *quinque iuga boum emi.* Ambitio ſæculi: *villam emi.*" Videamus iam quid ſpretus Dominus agat: *Tunc iratus paterfamilias dixit ſervo ſuo: Exi cito in plateas et vicos civitatis, et pauperes ac debiles, et cæcos, et claudos introduc huc.* Tales ſunt homines, ad quos Chriſtus dicit ſe veniſſe: *Non opus eſt ſanis medico, ſed male habentibus. Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores a).* „Sic etiam pauperes, et debiles dicuntur, ut S. Gregorius M. loquitur *b*), qui iudicio ſuo apud ſemetipſos infirmi ſunt." Talis erat publicanus, et mulier illa in civitate peccatrix: publicani et meretrices, quos dicit Chriſtus præceſſuros in regnum Dei *c*). *Et ait ſervus: Domine factum eſt, ut imperaſti, et adhuc locus eſt. Et ait Dominus ſervo: Exi in vias, et ſepes, et compelle intrare.* Hoc eſt quod Eccleſia ad Deum orat, ut noſtras etiam rebelles compellat voluntates. Et Chriſtus *d*): *Nemo venit ad me, niſi Pater traxerit eum.* Nemo porro noſtrum, niſi

a) *Matth. IX.* 12. 13. *b*) *Hom. XXXVI.*
c) *Matth. XIX.* 30. *d*) *Jo. VI.* 44.

Pharisaica ſuperbia elatus ab eorum se numero eximat, quos iussit homo ille ſeu filius hominis pauperes, ac debiles, cæcos et claudos introduci. „Audite, monet nos S. Jo. Chrysostomus *a*), unde vocati ſitis: ex trivio. Quinam eratis? Claudi et cæci animo, quod longe gravius est corporis cæcitate. Revereamini vocantis benignitatem, nemoque ſit ſordidis indutus vestibus, ſed quisque nostrum animæ amictum componat." Ex illis vero, qui ſint veste nuptiali induti, ſpecialiter deinceps laudibus prosequitur, qui ciliciis induuntur, et deserta incolunt, remotiores ſcilicet, ac expediti magis impedimentis, quæ in parabola notantur: quorum est *deponere pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum desideria erroris*, iuxta apostolum nos porro hortantem *b*): *Renovamini autem ſpiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus est in iustitia, et ſanctitate veritatis.* Quæ est vestis nuptialis in Christo, qua iuxta eundem *c*), *exſpoliantes nos veterem hominem cum actibus ſuis, et induentes novum, eum, qui renovatur in agnitionem, ſecundum imaginem eius, qui creavit illum*, quam in Adamo primo amissam, recuperavimus in novissimo, ut idem apostolus vocat Christum *d*), *ſicut portavimus*

a) *Hom. LXIX. in Matth. n. 2. T. VII. p. 682.*
b) *Eph. IV.* c) *Col. III. 9.* d) *I. Cor. XV. 49.*

CAPUT XCVI. *imaginem terreni, portemus et imaginem cœleſtis*, qui nos cohæredes ſuos ſcripſit cœleſtis, patriæ ad quam conditi ſuſpiramus, *domum non manufactam*, ut vocat D. Paulus *a*), *æternam in cœlis. Nam et in hoc ingemiſcimus, habitationem noſtram, quæ de cælo eſt, ſuperindui cupientes; ſi tamen veſtiti, non nudi inveniamur. Nam et qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus gravati: eoquod nolumus exſpoliari, ſed ſupervestiri.* Unde in Apocalypſi, qua nuptiæ agni celebrantur: *Beatus*, dicitur *b*), *qui vigilat, et cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet, et videant turpitudinem eius.*

Clam nobis non eſt, unde contraxerimus ſenſum turpitudinis ex nuditate noſtra. Quando poſt eſum pomi vetiti aperti ſunt oculi protoparentum noſtrorum *c*), cognoveruntque ſe eſſe nudos, atque ad vocem Domini Dei, abſconderunt ſe a facie eius in medio paradiſi. *Vocavitque Dominus Deus Adam, et dixit ei: Ubi es? Qui ait: Vocem tuam audivi in paradiſo, et timui, eoquod nudus eſſem: et abſcondi me. Cui dixit: Quis enim indicavit tibi, quod nudus eſſes, niſi quod ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comediſti?* Eiecti nos miſeri cum primo Adamo non ſolum paradiſo terreſtri, ſed etiam cœleſti in vita æterna, iterum vero

a) *II. Cor. V.* 1. *b*) *Apoc. XVI.* 15. *c*) *Gen. III.* 7. *ſeq.*

reſtituti per Christum Agnum Dei, qui tollit peccatum mundi: *Gaudeamus, et exultemus, et demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ Agni, et uxor eius*, Eccleſia, *præparavit ſe. Et datum eſt illi, ut cooperiat ſe byſſino ſplendenti et candido. Byſſinum enim iuſtificationes ſunt Sanctorum. Et dixit mihi: Scribe: Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt. Et dixit mihi: Hæc verba Dei vera ſunt a*). Doctrina ſcilicet catholica de iuſtificationibus Sanctorum, in Conc. Tridentino aſſerta Seſs. VI. *De iuſtificatione.* Caput XCVII.

CAPUT XCVII.

GAUDIUM IN CONVERSIONE PECCATORUM.

Erant autem appropinquantes ei publicani, et peccatores, ut audirent illum. Et murmurabant Phariſæi, et ſcribæ, dicentes: Quia hic peccatores recipit, et manducat cum illis. Et ait ad illos parabolam iſtam, dicens: *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves: et ſi perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deſerto, et vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat eam? etc.* Luc. XV. 1.

Tumidi ſua iuſtitia Phariſæi et ſcribæ, nec intelligentes iuſtitiam Dei et benignita- Ob quos Chriſtus venit in mundum.

a) *Apoc. XIX. 7. etc.*

tem Salvatoris miſſi ad oves, quæ perierant domus Israel *a*), non ferebant accedere publicanos et peccatores, *ut audirent illum.* Murmurantibus vero utut indignis benigniſſimus tamen Salvator tres parabolas, quarum quævis apta erat, quemvis alium commovere et ad misericordiam flectere, proponit de ove aberrante, drachma perdita, et filio prodigo. In quibus ſingulis admirabili et adoranda pietate viscera misericordiæ Dei noſtri panduntur; atque infinita Dei et Salvatoris noſtri benignitas erga nos aberrantes, perditos, et a Patre vagabundos bona paterna diſſipantes tenero affectu ob oculos ponitur, dum et paſtor inventa ove lætus eam ſuis ulnis ad gregem reportat: et mulier inventa drachma amicos, et amicas, vicinos, et vicinas convocat ad congratulandum ſibi, additque Chriſtus *b*): *Dico autem vobis, quod ita gaudium erit in cælo ſuper uno peccatore pænitentiam agente, quam ſuper nonaginta novem iuſtis, qui non indigent pænitentia.* Quis vero non adorabundus ſuspiciens miretur in his ſingulis totam incarnati Verbi Domini ac Salvatoris noſtri Jesu Chriſti breviter perinde et ſimpliciter, ac adæquate ob oculos poni œconomiam? Tanta fuit primis Eccleſiæ temporibus huius parabolæ de ove perdita exiſtimatio, et tam grata memoria, ut teſte

a) *Jo. X. 6. Matth. XV. 24.* *b*) *Luc. XV. 7.*

Tertulliano *a)* paſtor ovem perditam in humero geſtans in calicibus depingi ſoleret. Drachmam vero illam evangelicam uno ore SS. Patres interpretantur Dei imaginem nobis inditam, quæ, ut verbis S. Gregorii Niſſeni utar, de Virginitate cap. 12. ubi rem inſigniter illuſtrat *b)*; „Non plane amiſſa, ſed ſub fimo occultata eſt. Fimus vero, ut arbitror, carnis eſt interpretanda immundities, cuius ſordibus purgatis, atque ablutis perſpicuum id fit, quod quæritur: quo invento par eſt et ipſum, qui invenit, animum gaudere, atque ad ipſius gaudii ſocietatem vicinas adſciſcere *c)*.

Perinde eſt de filio prodigo, homine nimirum paternam ſubſtantiam in imagine ſua, quam ei inſpiravit, diſſipante, ad patrem redeunte, et cum gaudio et lætitia recepto a tota familia choros agente: „Solus frater audit, utor verbis S. Petri Chryſologi homilia quinta de filio utroque Judæum et gentilem figurantibus *d)*, in domo patris ſymphoniam, audit choros, et introire non vult. Hoc quotidie oculis noſtris intuemur. Nam venit Judæus ad domum Patris, id eſt, ad Eccleſiam, ſtat foris per invidiam, audit Davidicam cytharam perſonare, audit ex concentu prophetico

a) *Lib. de Pudicitia c. 7. et* 10. *b)* *T. III. p.* 147. *etc.*
c) *Pag.* 150. *d)* *Pag.* 9.

ſymphoniam, ex populorum vario conventu choros audit, et introire non vult per inuidiam foris ſtans, dum gentilem fratrem priſtinis iudicat et horret ex moribus, ipse paternis bonis se eximit, ipse se paternis excludit gaudiis etc.“ Quod vero Christo accidit, ut Phariſæi et ſcribæ offensi murmurarent, quia peccatores recipiebat, hoc idem postea apostolis contigit, indignantibus illis, qui erant ex circumcisione, quod Evangelium ad gentes deferretur. Sustinetque ad hunc usque diem gens Judaica personam filii illius ſenioris in parabola, qui cum appropinquaret veniens ex agro, audiretque ſymphoniam et chorum, quodque pater vitulum ſaginatum occidisset, ac parasset epulas, quia ſalvum fratrem recepit: *Indignatus est et nolebat introire. Pater ergo illius egressus cœpit rogare eum*, et hactenus exspectat: nec vana ſpes est, qua freti nos ex filio prodigo præstolari patienter fratrem nostrum ſeniorem debemus, post diuturnum equidem iam tempus, quo illi dixit pater: *Fili tu ſemper mecum es, et omnia mea tua ſunt:* quæ ut aliquando iterum ſint, ſatagere nos oportet, ac rogare instanter cœlestem Patrem; neutiquam vero eis reddere vicem indignationis in caput nostrum, quam illi hactenus ſustinent in ſuo.

CAPUT XCVIII.

USUS FACULTATUM.

Ego dico vobis: *facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Qui fidelis eſt in minimo, et in maiori fidelis eſt: et qui in modico iniquus eſt, et in maiori iniquus eſt. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuiſtis: quod verum eſt, quis credet vobis? Et ſi in alieno fideles non fuiſtis: quod veſtrum eſt, quis dabit vobis? Nemo poteſt duobus dominis ſervire . . . *Non poteſtis Deo ſervire et mammonæ.* Luc. XVI. 9. etc.

Christus terrenas res ac divitias iniquas dicit, alienas, et minimas: quod nimirum nullius ſint momenti iis æſtimandæ, qui ſupernis inhiant et cœleſtibus, a mundo hoc alieni, qui eſt in maligno poſitus. Hinc dum nos iubens Deus eleemoſynas facere dicit: *facite vobis amicos de mammona iniquitatis:* „Velut de alienis, ut cum S. Irenæo loquar *a*), noſtra redimentes; de alienis autem dico, non quaſi mundus alienus ſit a Deo, ſed quia huiusmodi dationes ab aliis accipientes habemus, ſimiliter velut

Per eleemosynam.

a) *Lib. IV. contra hæreſes c.* 30. *n.* 3. *p.* 268.

Caput XCVIII. illi ab Ægyptiis, qui non ſciebant Deum, et per hæc ipſa erigimus nobismetipſis tabernaculum Dei; cum bene enim facientibus habitat Deus, quemadmodum Dominus ait: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut hi, quando fugati fueritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*" Tertullianus parabolam, cuius hæc ſententia epiphonema eſt, nobis revocat in memoriam, in qua villicus inducitur, qui amotus ab officio, ex bonis domini ſui ſibi amicos, a quibus reciperetur, fecit. „Admonens enim nos, ſunt verba Tertulliani *a*), de ſecularibus ſuffragia nobis proſpicere amicitiarum, ſecundum ſervi illius exemplum, qui ab actu ſemotus, dominicos debitores diminutis cautionibus relevat in ſubſidium ſibi. *Et ego*, inquit, *dico vobis, facite vobis amicos de mammona iniuſtitiæ;* de nummo ſcilicet, de quo et ſervus ille. Iniuſtitiæ enim auctorem, et dominatorem totius ſæculi nummum ſcimus omnes: cui famulatam videns Phariſæorum cupiditatem, amentavit hanc ſententiam; *Non poteſtis Deo ſervire et mammonæ.*" Subdit, nempe evangeliſta, audientes hæc Phariſæos, qui erant avari, deriſiſſe eum. Mammona vox Syra, quodammodo hic accipitur, ut apud Græcos Plutus deus divitiarum: veluti D. Paulo Eph. V. 3. et Col. III. 5. avaritia dicitur

a) *Contra Marcionem lib. IV. p.* 448.

idolorum ſeu ſimulacrorum ſervitus: in more hoc etiam apud Judæos posito, ut vitia idololatriæ comparentur. Unde palam etiam fit, cur iniquus mammona dicatur, aut mammona iniquitatis, vitio nimirum avaritiæ, contra quod muniens vult nos nobis facere amicos: „Id est, ut S. Gaudentius Brixiensis loquitur *a*), amicos vobis facite pauperes de terrenis facultatibus, quas iniquitas humanæ avaritiæ ſibi vendicat, ne hominibus Dei ex eius rebus quidquam impertiat."

Fecerat ſibi villicus amicos ex bonis domini ſui; ideo villicus iniquitatis nuncupatur, quod res alienas ſibi usurpasset; laudatur nihilominus, *quod prudenter fecisset: quia filii huius ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt:* Εἰς τὴν γενεὰν τὴν ἑαυτῶν filiorum nimirum huius ſæculi, non nisi commodis, et utilitatibus præsentis vitæ intentorum. Quos in hac ſolertia, in qua parabolæ vis consistit, non in facti perversitate, in exemplum adducit; et ad imitandum proponit Christus filiis lucis, qui curam ſuam ac ſollicitudinem non huic ſed futuro ſæculo impendunt. Locum hic etiam habere potest, quod S. Augustinus contra Julianum Pelag. dicit *b*): „Non officiis ſed finibus a vitiis ſecernendas esse virtutes."

a) *Serm. XVIII.* *b*) *Lib. III. n.* 21.

CAPUT XCVIII. Modo S. Irenæum audivimus, Iſraelitarum exemplum adducere Ægyptum ſpoliantium, ex quo auro et argento ipſum etiam tabernaculum fuerit factum, comparatione inſtituta ad bona illa, quæ ab Ethnicis, ſeu e ſæculo ad Chriſtianos devenerunt. „Neceſſarie igitur, pergit *a*), hæc in typo præmeditabantur, et tabernaculum Dei ex his fabricatur: illis quidem iuſte accipientibus, quemadmodum oſtendimus; nobis autem præoſtenſis, qui inciperemus per aliena Deo ſervire; univerſa enim, quæ ex Ægypto profectio fiebat populi a Deo, typus et imago fuit profectionis Eccleſiæ, quæ erat futura ex gentibus.“ Vult autem S. martyr bona præſentis vitæ chriſtianis aliena, quemadmodum ſpolia Ægypti fuerunt Iſraelitis, ex quibus iuſſi ſunt tabernaculum conſtruere, ut ſimiliter nos ſimus in alienis fideles, cum nihil intulerimus in mundum, ſintque omnia in morte relinquenda ceu minima reſpectu bonorum, quæ nos in æterna vita maneant: bona adeoque præſentis vitæ conſideranda eſſe nobis haud propria ac ceu aliena tanquam diſpenſatoribus a Deo, cuius omnia ſunt, quæcunque ſunt, commiſſa, ut iuxta eius voluntatem cum aliis etiam indigentibus illa communicemus. „Dominus hoc loco vult, ut aperte rem Theophylactus exponit *b*), nos docere, ut bene

a) *Ib. n.* 4. *b*) *Comment. in Luc. c.* 16. *T. I. p.* 412.

diſpenſentur creditæ nobis divitiæ. Et primum hoc diſcimus, quod non ſumus domini divitiarum. Nihil enim habemus proprium, ſed diſpenſatores alienarum rerum ſumus, quæ a Domino nobis concreditæ ſunt, ut illas bene diſpenſemus, ſicut ipse imperat. At si concreditas divitias non expenderimus iuxta mentem Domini, et abusi fuerimus illis in noſtrum luxum, accuſabimur. Etenim voluntas Domini est, datis uti in usus conſervorum non in proprias delicias. Porro qui accuſantur; et deſtituuntur a diſpenſatione divitiarum, hi ſunt, qui ex hac vita emigrant, quando ſcilicet et rationem dabimus de diſpenſatione, cum deſtituti fuerimus." Pertinet quoque huc parabola de epulone, et Lazaro. S. Anſelmus oſtendit, quomodo omnes divitiæ ſæculi divitiæ iniquitatis appellari poſſint: „Quia, ait *a*), cum a Deo pro omnibus ſint creatæ, has ſibi nonnulli, quamvis iuſto labore, iniqua tamen cupiditate congregant; et quas nulli tribuunt, has indigentibus quodammodo tollunt, dum eas in usum eorum venire non ſinunt. Licet ergo iuſtis, ut dictum eſt, laboribus acquiſitæ, vel in patrimonio a religioſis parentibus acceptæ: tamen divitiæ *iniquitatis* ſunt, quia iniquum eſt, id eſt, ab æquitatis regula diſcordans, ut alius divitiis ſuperabundet, alius autem egeat. De

a) *Hom. XII. p.* 184.

CAPUT XCIX.

quibuscunque ergo divitiis ſæculi eleemoſynæ fiant, de divitiis *iniquitatis* ſunt. Itaque non iam inique ſed iuste conquiramus divitias, ex quibus iustas faciendo eleemoſynas, ſanctos pauperes nobis adquiramus *amicos*, ut ipsi nos ſecum recipere dignentur *in æterna tabernacula.* "

CAPUT XCIX.

CASTITAS SEU CONTINENTIA VOLUNTARIA.

Sunt eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat. Matth. XIX. 12.

Donum Dei in Ecclesia Dei.

Verba hæc Christi *qui potest capere, capiat,* ad captum erant apostolorum, eorumque omnium deinceps in Ecclesia qui propius ministerio ſacro erant admovendi, exemplo Christi quoque, et eius virgineæ matris profitentis angelo: *quoniam virum non cognosco.* „Quod profecto non diceret, ſunt verba S. Augustini *a)*, nisi virginem ſe ante devovisset." Ad propositum S. Hieronymus contra Jovinianum cœlibatus hostem: „Christus, ait, virgo, virgo Maria, utriusque ſexus virginitatem dedicavere. Apostoli

a) Lib. de Virginitate.

vel virgines, vel post nuptias continentes, epiſcopi, presbyteri, diaconi aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post ſacerdotium in æternum pudici.“ CAPUT XCIX.

Cum Christus discipulis indiſſolubilis matrimonii leges exposuiſſet, dicunt illi: *Si ita est cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere:* ob incommoda nempe matrimonii; Christus vero eorum animos altius evehit a carne ad ſpiritum donumque continentiæ propter regnum cœlorum ſuſceptæ, quod iam, cuius eſſet donum, ſapiens noverat, *quoniam*, ait *a*), *aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det, et hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire cuius eſſet hoc donum.* Generatim loquitur de *gratia*, quæ est iuxta apostolum Eph. VI. 24. *cum omnibus, qui diligunt D. N. J. C. in incorruptione.* Id quod ſingulariter Christus de dono continentiæ ſeu castitatis dicit: *Non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum est:* „Et se, ut rem exprimit Tertullianus *b*), ſpadonatui assignant propter regnum Dei tam fortem, et utique permiſſam voluptatem ſponte ponentes.“ S. Hieronymus contra Jovinianum virginitatis hostem locum hunc Evangelii versans de eunuchis, „quos, inquit *c*), castravit

a) *Sap. VIII.* 21. *b*) *De cultu fœminarum Lib. II.* c. 9. p. 158. *c*) *Lib. I.* n. 12.

Caput XCIX. non neceſſitas, ſed voluntas." Ad S. Clementis I. S. Petri in Romana ſede ſucceſſoris epiſtolas provocat, in quibus „omnem pæne ſermonem ſuum de virginitatis puritate contexit." Quas etiam S. Epiphanius Hæres. XXX. n. 15. aperte deſignat, dum refert S. Clementem „in epiſtolis circularibus, quæ in ſacroſanctis Eccleſiis leguntur, Ebionæos modis omnibus redarguiſſe. Etenim, ſubdit, virginitatem ipſe edocet, et iſti repudiant." Proſtant epiſtolæ hæ S. Clementis *a*) noſtra iterum ætate in lucem protractæ de continentium in Eccleſia primitiva ſtatu: ut apoſtolum prætercam, cuius erat celebratiſſima diſcipula virgo et martyr B. Thecla *b*); eiusque nomine apud S. Methodium in convivio decem virginum eſt cæteris prolixior oratio VIII. panegyrica de virginitate. S. Theclæ, in qua Eccleſia celebrat primitias martyrum in ſexu muliebri, licet iungere S. Philippi apoſtoli filias, quarum duæ Hierapoli, teſte Polycrate in epiſt. ad Victorem P. apud Euſebium in virginitate conſeneſcentes cum patre ſepultæ ſunt *c*), tertia Epheſi, ubi ſpiritualem quandam vitam duxit; diverſus eſt hic Philippus ab eo, qui Act. XXI. 8. vocatur *evangeliſta*, *qui erat unus ex ſeptem diaconis* quos inter Act.

a) *T. I. Bibl. PP. Ed. Venetæ p.* 111. *b*) *T. III. Bibl. PP. p.* 714. *c*) *Hiſt. Eccl. Lib. III. c.* 31.

VI. 5. nominatur. *Huic autem erant quatuor virgines prophetantes.* CAPUT XCIX.

De virginum ſeu continentium in primitiva Eccleſia copia S. Justinus M. in apologia I. ad Antoninum pium, et Athenagoras in legatione ſua insigne virginitatis testimonium reddunt ad ſanctitatem religionis christianæ ostendendam, commendandamque. Constat enim ethnicis etiam admirationi fuiſſe *hanc venerandam ac cælestem professionem*, ut S. Athanasius in Apol. ad Constantinum Imp. vocat *a*), certumque esse dicit, eam religioſe nisi duntaxat apud nos christianos non excoli. „Hoc enim, ſubdit, maximum est argumentum, certam et veram apud nos esse religionem.“ Hæc S. Athanasius ad Constantinum M. de quo Eusebius in eius vita l. IV. „Virginum chorum, inquit, tantum non adorabat: isthic habitare Deum, cui se puellæ devoverant, arbitrabatur.“

De hoc ſingulari religionis nostræ ornamento iam laudatus S. Justinus M. Imperatorem ethnicum allocutus: „Ac multi quidem, inquit, et multæ ſexaginta et ſeptuaginta annos nati, qui a pueris Christi disciplina imbuti ſunt, incorrupti perseverant;

a) *Num.* 33.

CAPUT XCIX. taleſque in omni hominum genere monſtrarum me profiteor.“ Semper inter prima legis evangelicæ decora flos illibatæ caſtitatis enituit eorum, qui vel miniſterio ſacro, vel alias totos, totoque ſeſe corpore et animo Deo devoverunt, iuvenes et virgines, ſenes cum iunioribus, quales continentes poſt Tertullianum de velandis virginibus, et S. Cyprianum de habitu virginum, ex antiquis SS. PP. Athanaſius, Gregorius Nazianzenus et Niſſænus, Baſilius, Ephrem, Ambroſius, Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus etc. ſingularibus de virginitate libris celebrarunt. Quis vero SS. Patrum eſt, qui angelicam hanc virtutem laudibus non celebraverit, commendaveritque? Unde tantus ſacratarum nullo non tempore virginum numerus, ut S. Gregorius M. in una urbe Romæ tria numerarit millia, quarum pietati in acceptis fert, quod urbs prædæ barbarorum obseſsa non ceſſerit.

Jam iniecimus mentionem prolixæ orationis in laudem virginitatis ſub S. Theclæ nomine inter virgines protomartyris apud Methodium in convivio virginum ubi orationem primam Marcella ſic auſpicatur *a*): „Magna ſupra modum, atque miranda, glorioſaque res eſt virginitas: ac ſi palam loquendum, ex ſacrarum ſcripturarum nutu ſenſuque in-

a) *L. c. p.* 673.

eorruptionis uber, eiusque flos ac primitiæ est. Una hæc optima, honestissimaque professio. Unde et Dominus eos potissimum in regnum cœlorum ingressuros pollicetur, qui ipsi ſeipsos castraverunt, ubi in Evangeliis eunuchorum differentias tradit.“ Hic virgo ipsa perorans inducitur, S. Cyprianus vero virgines allocutus: „Flos est ille, inquit *a*), ecclesiastici germinis, decus, atque ornamentum gratiæ ſpiritalis, læta indoles, laudis et honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad ſanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis largiter floret Ecclesiæ matris gloriosa fœcunditas: quantoque plus copiosa virginitas numero ſuo addit, tanto plus gaudium matris augescit. Ad has loquimur, has adhortamur affectione potius, quam potestate: non quod extremi et minimi, et humilitatis nostræ admodum conscii aliquid ad censuram licentiæ vindicemus, ſed quod ad ſollicitudinem magis cauti, plus de diaboli infestatione timeamus. Neque enim inanis hæc cautio est, et vana formido, quæ ad ſalutis viam consulit, quæ dominica et vitalia præcepta custodit, ut quæ se Christo dicaverint, et a carnali concupiscentia recedentes tam carne, quam mente se Deo voverint, consument opus ſuum magno

a) *De habitu virginum n.* 3. *p.* 68.

Caput XCIX.

præmio deſtinatum; nec ornari iam aut placere cuiquam velint, niſi Domino ſuo, a quo mercedem virginitatis exſpectant, dicente ipſo: *Non omnes capiunt verbum, ſed illi quibus datum est. Sunt enim ſpadones, qui ex utero matris ſic nati ſunt, et ſunt ſpadones, qui coacti ſunt ab hominibus, et ſunt ſpadones, qui ſe ipsos castraverunt propter regnum cælorum.*" Quodvis genus ſuccincte S. Hilarius in h. l. deſcribit. „Nobis, inquit *a*), circa eunuchos ſermo ſit et voluntas. In uno poſuit naturam, in altero neceſſitatem, in tertio voluntatem: naturam in eo, qui ita naſcitur: neceſſitatem in eo, qui ita factus est: voluntatem in illo, qui ſpe regni cœleſtis talis eſſe decreverit: cui nos ſimiles effici, si tamen poſſimus, admonuit." Scrupulum de poſſibilitate ex ipſo S. doctore atque D. Paulo in nota adiecta exemit editor; explicans vero S. Iſidorus Peluſiota: „Quod, inquit, de virginitate dictum est: *Non omnes capiunt ſermonem hunc, ſed quibus datum est:* id non est eo ſenſu dictum, quaſi quibusdam forte quadam arcana tributum ſit (nam ſi ita eſſet, non propoſuiſſet ipſis præmium regnum cœlorum) ſed ut oſtendat, primum quidem divino auxilio indigere eos, qui iſtud in natura excellentius certamen ſuſceperunt: deinde quod cœlitus hoc conſilium deſcendat, non lege

a) *Comment. in Matth. Cap. XIX. n. 2. p. 702.*

ſanciens, ſed ſuasione et exhortatione utens; tertio, quod detur hæc facultas virginitatem colendi iis, qui intemperantia ſuperiores extiterint, qui pretiosum illum thesaurum ieiuniis atque vigiliis conservaverint, nec ſemetipsos feræ belluæ per ignaviam et delicias prodiderint. Nam si ſecundum ſortitionem quamdam daretur, ſupervacaneum esset præmium (quod virginitatis cultoribus est propositum) ſed illis datur, qui accipere volunt. Illis enim, qui nolunt, nemo erit, qui ſit daturus." S. Thomas hoc explicat exemplo ducis exercitus, qui quando capienda est civitas, dicit *a*): „Qui intrabit civitatem, dabitur ei hoc vel illud: ſicut dicit David Joab. Sic qui potest capere et continere, capiat, et non se retrahat." Paucis verbis ſimplicissimaque ſententia angelicus hic nobis explicat doctor, angelicam illam vivendi normam ſecundum consilia evangelica, non voluntariam tantum castitatem, verum etiam ſpontaneam paupertatem, et perfectam obedientiam, cuius consummatum prototypon Christus in se et apostolis ſuis primum reliquit; aptissima vero comparatione nobis ob oculos ponit D. Thomas exemplo belliducis, voluntarios ſibi ſegregantis milites ad expugnandam civitatem, quam hic cœlestem intelligimus, ſiquidem a diebus Joannis, quando consilia

a) *In Matth. XIX. T. III. p.* 250.

CAPUT C.

hæc obtinere cœperunt, in veteri teſtamento incognita, *regnum cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud*, prout ſupra ad rem Cap. LVII. hunc locum præſertim ex S. Ambroſio explicavimus: tum illum etiam Cap. LIII. de angusta porta, parallelum huic alteri de regno cœlorum vim patiente, ut apud Lucam habetur his verbis: *contendite intrare per anguſtam portam:* quod eſt vim ſibi inferentium ac pugnantium contra legem illam peccati, de qua conqueſtus apoſtolus Rom. VII. 24.: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.*

CAPUT C.

TESTIMONIUM RESURGENTIS A MORTUIS NON ADMISSUM.

Ait illi (diviti in inferno) Abraham: Habent Moyſen et prophetas: audiant illos. At ille dixit: Non, pater Abraham: ſed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi: *Si Moyſen et prophetas non audiunt; neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.* Luc. XVI. 29. etc.

In Chriſto, et Lazaro.

Non conveniunt inter ſe interpretes hiſtoriane ſit, quæ narratur in Evangelio de

divite epulone et paupere Lazaro, an parabola, quod certe nomen parabolæ hic non, ut alias, prænotatur. Auctori responsionum ad orthodoxos in apendice operum S. Justini M. ὑποτύπωσις potius esse dicitur, quæ est rhetoribus res vera variis coloribus adumbrata ad eloquentiæ ornatum, ac vim, quæ ſane admirabilis hic est ac ſublimis ex historia evangelica alterius in Evangelio Lazari (quem Christus ſuſcitavit a mortuis) et Christi ipsius resurgentis. Rogat dives Abraham, ut aliquem mittat in domum patris ſui, ne et fratres ſui veniant in hunc locum tormentorum, absterrendi, si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiamque acturi. Quid vero accommodatius esse poterat ad Judæos confundendos responsione Abrahæ: *Si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Judæi quippe qui iis, quæ de Christo Moyses et prophetæ prædixerunt, non crediderunt, non ſolum resuscitato Lazaro et Christo resurgenti non adhibuerunt fidem, verum etiam Lazarum occidere voluerunt; militibus vero custodibus ſepulcri dominici pecuniam dederunt, ut testarentur ipsis dormientibus ſustulisse corpus discipulos, quos etiam de resurrectione Christi testimonium reddentes acerrime ſunt persecuti, prout S. Jo. Chrysostomus eloquenter edisserit in homilia de *Lazaro et divite*,

Caput C. illud etiam obſervans, quod gravior ſit ſcripturarum et prophetarum doctrina, quam si quis a mortuis resuscitatus renuntiet: „Nam, inquit, angelorum herus, mortuorum pariter ac viventium dominus ipse eas condidit.“ Hoc S. Gregorius M. ex ipsa doctrina veteris et novæ legis adhuc amplius ſtringit: „Quia nimirum, ait *a*), qui verba legis despiciunt, Redemtoris præcepta, qui ex mortuis resurrexit, quanto ſubtiliora ſunt, tanto hæc difficilius implebunt. Minus est enim quidquid per legem dicitur, quam hoc quod per Dominum iubetur. Illa enim dari decimas præcipit; Redemtor vero noster ab his, qui perfectionem ſequuntur, omnia dimitti iubet. Illa peccata carnis resecat; Redemtor vero noster illicitas cogitationes etiam damnat. *Si ergo Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent:* quia hi qui viliora legis præcepta implere negligunt, Salvatoris nostri mandatis altioribus obedire quando convalescunt? Et nimirum constat, quia cuius implere dicta renuunt, ei procul dubio credere recusant.“

Cum Christus initium ſignorum feciſset in Cana Galileæ Jo. II. ac paulo post, dum prope esset pascha Judæorum, ascendens Hierosolymam zelo domus Patris ſui accen-

a) *Lib. II. Hom. XL. n.* 9. *p.* 1658.

sus vendentes templo eiecisset, peterentque ab eo ſignum, quod hæc faceret, is in ipso ſtatim hoc prædicationis exordio mox eis resurrectionem ſuam ſub templi ſchemate denunciavit, *et dixit eis: Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.* Idem deinceps non ſemel fecit, Jonæ proposito exemplo. At illi nullam horum omnium rationem habuerunt: dum demum ipsi *eius discipuli, cum resurrexisset a mortuis, recordati ſunt, quia hoc dicebat*, de templo corporis ſui, *et crediderunt ſcripturæ, et ſermoni, quem dixit Jesus;* Judæi tamen haud ignari prædixisse Christum resurrectionem, conveniunt Pilatum *dicentes a): Domine, recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam. Jube ergo custodiri ſepulcrum: . . . ne forte veniant discipuli eius, et furentur eum, etc.* Si unquam alias hoc certe ſolo facinore indignos se reddebant, quibus se manifestaret Christus resurgens: quod tamen fecerant quidam de ipsis illis custodibus, quos illi ad ſepulcrum constitui petebant a Pilato, qui, ut Matth. XXVIII. 11. *venerunt in civitatem, et nuntiaverunt principibus ſacerdotum omnia, quæ facta fuerant.* At illi corruperunt custodes pecunia, ut dicerent, discipulos nocte venisse, ſeque dormientibus furatos esse corpus. Cuius rei luculentum habetur apud Justinum M. testimonium in dialogo cum Tryphone Judæo n. 108. delectos a

Caput CI.

Judæis homines missos per universum orbem, qui testarentur discipulos nocte Christum e monumento ſurripuisse: „decipi ab illis homines, dum eum a mortuis resurrexisse, et in cœlum ascendisse dictitant.“

CAPUT CI.

UBI FUERIT CORPUS, ILLIC CONGREGANTUR ET AQUILÆ.

Dico vobis: In illa nocte erunt duo in lecto uno; unus assumetur, et alter relinquetur: duæ erunt molentes in unum; una assumetur, et altera relinquetur: duo in agro; unus assumetur, et alter relinquetur. Respondentes dicunt illi: Ubi Domine? Qui dixit illis: *Ubicunque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ.* Luc. XVII. 34. etc.

Romani in excidio urbis Hierosolymitanæ.

Interrogatus est Christus a Pharisæis *a*): *Quando venit regnum Dei?* Quod dupliciter accipi potest de regno Christi, Messiæ in terra ſeu Ecclesia, et æterno cum Christo in cœlis. Breviter autem respondet Christus Pharisæis: *Non venit regnum Dei cum observatione: neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est.* Non

a) *Luc. XVII. 20.*

venit, quod Judæi ſperabant, regnum Dei cum obſervatione, id eſt, cum ſplendore externo, pompaque regia, ac poteſtate, qua fingebant Meſſiam ſubiecturum ſibi gentes et dominaturum in ſolio David a mari usque ad mare: nec animadvertebant ad verba Chriſti, queis ipſis regnum ſuum denunciat: *Ecce enim regnum Dei intra vos eſt.* Converſus igitur ad diſcipulos ſuos multa eis prænunciat poſt mortem ſuam tum ipſis, cum etiam genti Judaicæ ac demum univerſo generi humano eventura ſubito ac inſperato: genti quidem Judaicæ excidium urbis Hieroſolymitanæ poſt adventum ſuum in orbem; generi humano everſionem orbis ante adventum ſuum ad iudicium extremum, quæ duo ceu figura et figuratum hic et alibi coniunguntur. CAPUT CI.

De his igitur cum diſſeruiſſet hic Chriſtus: *Reſpondentes dicunt illi: Ubi Domine? Qui dixit illis: Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ a).* Græce *πτῶμα* habetur, ſeu cadaver apud Matthæum *b)* quod paſſim ipſum Chriſti cadaver ſeu Chriſtum Hieroſolymis occiſum interpretantur: ad cuius urbis excidium etiam hæc dictio refertur apud Lucam et Matthæum, qui mox poſt eam incipit de excidio orbis loqui, uti etiam Marc. XIII. 24. Luc. XXI.

a) Luc. XVII. 36. 37. *b) Matth. XXIV. 28.*

Caput CI. 25. poſtquam iam deſtructionem templi prædixerat diſcipulis ſeorſim eum interrogantibus, ut plenius apud Matthæum legitur: *Sedente autem eo ſuper montem Oliveti acceſſerunt ad eum diſcipuli ſecreto dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt, et quod ſignum adventus tui, et conſummationis ſæculi;* Chriſtus autem nunc diſtincte de alterutro loquitur; nunc promiſcue de utroque, excidio urbis et orbis, ut nos etiam ex Judæorum facto cautos circumſpectosque reddat, atque ad vigilandum ſollicitos, prout in concluſione ſermonis ſpeciatim monet Marc. XIII. 37. *Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate.* Deuteronomii vero XXVIII. ubi fata Judaicæ gentis prædicuntur, luculenta habetur poſteriore capitis illius parte prophetia, ac veluti hiſtorica eorum narratio, quæ a proprio ſuo ſcriptore Joſepho de obſidione et excidio urbis Hieroſolymitanæ, ubi ipſe Joſephus Judæus ſcriptor rerum Judaicarum ſpectator adfuit, accidiſſe perhibetur. Deut. XXVIII. 49. autem hæc inter alia leguntur: *Adducet Dominus ſuper te gentem de longinquo, et de extremis terræ finibus, in ſimilitudinem aquilæ volantis cum impetu: cuius linguam intelligere non poſſis.* Quæ ſane verba nos iam, poſt tot præſertim ſæcula diſperſæ gentis veluti palpamus convenire aquilæ Romanæ, non aliis, a quibus prius preſſi, aut ſubacti ſunt monarchiis Orientalibus,

de quibus dici non potuiſset, ab extremis terræ finibus eſse, quarum linguam intelligere non potuerint. Hæc Judæos attinent excidiumque eorum urbis.

Quodsi ulterius progrediamur ad nos iam quod attinet, qui excidium orbis exſpectamus, uno ceu ore SS. PP. interpretes huius loci in bonum omen accipiunt aquilas acutiſsimi visus ac volatus altiſsimi, qui veluti iam nunc ad corpus Christi in eucharistia ardenter feruntur, et volant, cœlestiumque rerum contemplatione in ſublime elati aspirant in cœlum, ubi Christus resurgens cum ſuo corpore est ad dexteram Patris, ita aliquando ſint in resurrectione mortuorum Christo ad iudicium venturo occursuri, ut dicit apostolus *a*): *Nos, qui vivimus, . . . ſimul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra, et ſic ſemper cum Domino erimus.* S. Hilarius etiam locum, ubi ſit appariturus, designans ad h. l. *b*) „Sanctos, inquit, de volatu ſpiritalis corporis aquilas nuncupavit: quorum congregantibus angelis, conventum futurum in loco passionis ostendit. Et digne illic claritatis adventus exſpectabitur, ubi nobis gloriam æternitatis passione corporeæ humilitatis operatus est." Cui interpretationi

Electi in excidio orbis ac contemplatione divina.

a) *I. Thes. IV.* 16. *b*) *Comment. in Matth. c.* 25. *n.* 8. *p.* 731.

CAPUT CI. lucem fœnerantur, quæ in eundem locum S. Hieronymus commentatur *a*): De exemplo naturali, quod quotidie cernimus, Christi inſtruimur ſacramento. Aquilæ et vultures etiam trans maria dicuntur ſentire cadavera, et ad eſcam huiusmodi congregari. Si ergo irrationabiles volucres naturali ſenſu tantis terrarum ſpatiis, et maris fluctibus ſeparatæ, parvum cadaver ſentiunt, ubi iaceat: quanto magis ad eum, cuius fulgur exit ab Oriente; et paret usque ad Occidentem? Possumus autem corpus, id est, πτῶμα quod ſignificantius latine dicitur cadaver ab eo, quod per mortem cadat, passionem Christi intelligere, ad quam provocamur: ut ubicumque in ſcripturis legitur, congregemur, et per illam venire possimus ad verbum Dei, ut et illud: *foderunt manus meas, et pedes meos.* Et in Isaia: *Sicut ovis ad victimam ductus;* et cætera his ſimilia. Aquilæ autem appellantur ſancti, quibus innovata est iuventus ut aquilæ: et qui iuxta Isaiam plumescunt, et assumunt alas, ut ad Christi veniant passionem. " S. Ambrosius enarratione in Psalm. XLVIII. n. 23. legit loco corporis ſeu cadaveris *ruina.* Audi dicentem, inquit *b*), *ubi ruina, ibi et aquilæ;* id est, ubi ruina, ibi et resurrectio. Ruina vacua firmitatis est: resurrectio plenitudo vivendi est. "

a) *Lib. IV. in Matth. T. IV. p.* 116. *b*) *T. I. p.* 953.

In h. l. vero apud Lucam: „Itaque, commentatur *a*), prius, quæ ſint aquilæ coniiciamus, ut, quod ſit corpus, definiamus. Juſtorum enim animæ aquilis comparantur, quod alta petant, humilia derelinquant, longævam ducere ferantur ætatem. Unde et David animæ ſuæ dicit: *Renovabitur ſicut aquilæ iuventus tua.* Si igitur intelleximus aquilas, de corpore iam dubitare non poſſumus, maxime, ſi meminerimus, quod a Pilato Joseph corpus acceperit. Nonne tibi videntur aquilæ circa corpus Maria Cleophæ, et Maria Magdalene, et Maria mater Domini, apoſtolorumque conventus circa Domini ſepulturam? Nonne tibi videntur aquilæ circa corpus, quando veniet cum intelligibilibus nubibus Filius hominis, *et videbit eum omnis oculus, et qui eum compunxerunt?* Eſt etiam corpus, de quo dictum eſt: *Caro mea vere eſt cibus, et ſanguis meus vere eſt potus.* Circa hoc corpus aquilæ ſunt, quæ alis circumvolant ſpiritalibus. Sunt et circa corpus aquilæ, quæ credunt Jeſum in carne veniſſe; quia omnis ſpiritus qui confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, de Deo eſt. Ubi ergo fides, ibi ſacramentum, ibi diverſorium ſanctitatis. Eſt etiam corpus Eccleſia, in qua per baptiſmi gratiam renovamur ſpiritu, et occidua

Caput CI.

a) *Lib. VIII. n.* 55. *p.* 1484.

Caput CI. ſenectutis in redivivas reparantur ætates.“ Ex græcis SS. Patribus breviter S. Chryſoſtomus in h. l. apud Matthæum de ſignis adventus Chriſti: „Aliud porro, inquit a), ſignum dicit, *ubi corpus, ibi et aquilæ;* angelorum, martyrum, et ſanctorum omnium coetus ſignificat.“ S. Cyrillus Alexand. Comment. in Joannem b), quærens „quomodo ſuum corpus ipſe Salvator cadaver nominat? Alicubi enim ait: *Ubicunque fuerit cadaver, ibi congregabuntur aquilæ.* Ad illud, inquit, reſpondemus, Chriſtum de ſuo corpore hæc non dixiſse, ſed in modum parabolæ, ſanctos ad ſe tunc temporis venturos ſignificare, cum denuo nobis apparebit cum ſanctis angelis in gloria Patris ſui. Quemadmodum enim, inquit, carnivorarum avium greges ſtridentibus alis in cadavera devolant, ſic etiam vos ad me convolabitis. Quod ſane Paulus quoque nobis declarat his verbis: *Canent enim tuba, et mortui reſurgent incorrupti.* Et alibi: *Et in nubibus rapiemur obviam Chriſto in aëra; et ſic ſemper cum Domino erimus.* Nihil ergo rationi veritatis officit, quod ex ſimilitudine ad rem exprimendam traductum eſt.“

Quæ hactenus recenſuimus SS. Patrum dicta proprie pertinent ad allegoricam, my-

a) *Hom. LXXVI. n. 3. T. VII. p. 735.*
b) *T. IV. p. 143.*

sticamque interpretationem Matth. XXIV. 28. et Luc. XVII. 37. ſiquidem ſententia illa Christi: *Ubicunque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ* (quæ creditur esse proverbium apud Judæos frequentatum, connectiturque ſermoni Christi de excidio urbis Hierosolymitanæ) extendatur etiam ad excidium eodem ſensu familiari SS. Patribus ad ædificationem fidelium in pietate composito, orbis in consummatione ſæculi; generalius accipitur de vocatione gentium electione et gloria ſanctorum cum Christo a S. Irenæo M. ad illud Isa. XLIII. 5. etc. *Ab Oriente attraham ſemen tuum etc.* „Hoc ideo, ait a), quoniam *ubicunque est cadaver, illuc congregabuntur et aquilæ* participantes gloriæ Domini: qui et formavit, et ad hoc præparavit nos, ut dum ſumus cum eo, participemus gloriæ eius.“ Nec abludit S. Jo. Chrysostomus ad eos rem referens, qui mensæ cœlestis in terra fiunt participes, ut ſupra S. Ambrosius, et alii, qui pie animant, nos aquilas in hac vita factos ad ipsum cœlum evolare „Charitate ferventi, iuxta S. Chrysost. in illud b): *Ubi enim cadaver, illic et aquilæ.* Cadaver vocans, ait, Domini corpus propter mortem: nisi enim ille cecidisset, nos non resurrexissemus. Aqui-

CAPUT CI.

a) *Lib. IV. contra Hæres. c.* 14. *n.* 1. *p.* 244. b) *T. X. Hom. XXIV. in Epist. I. ad Cor. c.* 10. *n.* 3. *p.* 216.

Caput CI. las autem appellat, ut oſtendat, ad alta eum oportere contendere, qui ad hoc corpus accedit, et nihil cum terra ei debere eſſe commune, neque ad inferiora trahi, ac repere, ſed ad ſuperiora ſemper volare, et in ſolem iuſtitiæ intueri, mentisque oculum altiſſimum habere. Aquilarum enim, non graculorum hæc eſt menſa. Et tunc occurrent e cœlis deſcendenti, qui nunc digne fruuntur, quemadmodum qui indigne, extrema patientur." Et S. Iſidorus Peluſiota Chryſoſtomi diſcipulus: „Quoniam, inquit *a*), beatæ vitæ ſedem nobis rerum omnium architectus ac dominus habitationem in Eden præbuerat, ob levitatem autem animi, atque impoſtoris improbitatem ea exturbati et deiecti, atque in ærumnoſam terram, et gravem acerbamque peregrinationem proiecti ſumus: idcirco Chriſtus eos ex nobis, qui pennas rurſum induerint, atque terrena et abiecta hac vita relicta ad cœleſtis vitæ faſtigium acceſſerint, ad illum locum collecturum ſe pro ſua bonitate pollicitus eſt. Atque illud eſt, quod quæſiviſti, ubi eſt cadaver, illic congregabuntur et aquilæ; hoc eſt, ubi ob intemperantem guſtum clades extitit, illic victoria per inediam et continentiam, quam natura protulit, et excoluit, parta eſt." S. Auguſtinus inter alias ſelectas in Mat-

a) *Lib. I. Epiſt.* 282. *p.* 76.

thæum quæſtiones diſcutiens: „Quod, inquit *a*), Dominus dicit, *ubi fuerit corpus, illo congregabuntur aquilæ*, id eſt, in cœlum, quo hinc ſecum levavit corpus in homine ſuſcepto: quod etiam cadaver ideo appellatum eſt, quia moriturus hæc loquebatur. *Illo congregabuntur aquilæ*, dictum eſt de ſpiritalibus, qui eius paſſionem, humilitatemque imitando, tamquam de eius corpore ſaturantur. Corpus enim propter humilitatem pro nobis paſſionemque ſuſcepit. " S. Gregorius illud Job XXXIX. 28. etc. huc trahit, ubi aquila ex præruptis inacceſſis rupibus dicitur contemplari eſcam, et de longe oculos eius reſpicere, et ubicunque cadaver fuerit, ſtatim adeſſe: „Quod autem hic, ſcribit *b*), de hac aquila dicitur: ubicunque cadaver fuerit, ſtatim adeſt; hoc de egredientibus animabus fieri veritas ſpopondit, dicens: *Ubicunque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ.* Ac ſi aperte dicat: Qui cœleſti ſedi incarnatus Redemtor præſideo, electorum quoque animas, quum carne ſolvero, ad cœleſtia ſublevabo. " Ven. Beda in h. l. *c*): „Ubicunque ergo fuerit Dominus corpore, illo congregabuntur electi, qui eius paſſionem, humilitatemque imitando tanquam de eius carne ſaturantur, quorum per reſurrectionem re-

a) *Quæſt. XLII. T. III. P. II. p.* 247. *b*) *Lib. XXXI. Moral. in Job. T. I. p.* 1044. *c*) *T. V. p.* 390.

novabitur ut aquilæ iuventus.“ Quod ibidem Beda de reprobis dicit, clarius breviusque apud Theophilactum legitur in h. l. „Hoc eſt, inquit *a*), ubi Filius hominis, illic et ſancti eius leves, et in ſublime volantes: ſicut peccatores graves, qui et infra relinquentur. Nam ſicut iacente cadavere omnes carnivoræ volucres advolant: ita et ubi Filius hominis propter nos mortuus, et in caſum poſitus de cœlo apparuerit, omnes ſancti congregabuntur, et ipſi angeli.“

Ad literalem magis quandam allegorici quidem huius loci explicationem ſupra in *divina Evangelii Chriſti Verbi incarnati œconomia* T. I. c. XXIV. p. 154. digitum intendimus, habito ſingulari reſpectu ad ſperatam in noviſſimis diebus Judæorum (ceu renovata ut aquilæ iuventute eorum) converſionem ad Chriſtum, coniunctam cum utriusque reipublicæ tunc futura cataſtrophe: repullulante veluti atque refloreſcente in Judæis Eccleſia temporibus illis, de quibus Chriſtus, *Filius hominis cum venerit, putas fidem inveniet in terra?*

a) *T. I. p.* 431.

CAPUT CII.

DEUS VINDEX ELECTORUM SUORUM.

Quia moleſta eſt mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in noviſſimo veniens ſugillet me. Ait autem Dominus: Audite, quid iudex iniquitatis dicit: *Deus autem non faciet vindictam electorum ſuorum clamantium ad ſe die ac nocte, et patientiam habebit in illis? Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum. Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Luc. XVIII. 5. etc.

Mirum videatur, quomodo ultima hæc verba, quæ pertinent ad apoſtaſiam illam, quæ præcedet tempus illud, quando Chriſtus venturus eſt iudicare vivos et mortuos, connectantur cum parabola de iudice illo, quem vidua quædam inceſſanter ſollicitabat, *dicens: Vindica me de adverſario meo: et nolebat per multum tempus. Poſt hæc autem dixit intra ſe: Etſi Deum non timeo, nec hominem revereor: tamen quia moleſta eſt mihi hæc vidua, vindicabo illam.* Mulierem hanc Eccleſiam Chriſti repræſentare dubium non relinquunt verba illa Chriſti, quæ ſequuntur: *Deus autem non faciet vindictam electorum*

Adverſus perſecutores Eccleſiæ.

ſuorum clamantium ad ſe die ac nocte? Est enim clamor hic electorum in Eccleſia militante ſub continuis preſſuris in hoc ſæculo afflictorum: *quia omnes, qui pie volunt vivere in Chriſto, perſecutionem patientur a).* Semper hoc experta est Eccleſia, experiturque ſtatu preſſo etiam eluctata ſub chriſtianis principibus, et experietur *per multum tempus* illud, quod intercedit usque ad diem iudicii: dum interim plerumque ingruunt tempora, quibus, qui rerum potiuntur in terris, ſimiles iudici illi ſeſe præbent, qui *erat in quadam civitate, qui Deum non timebat, et hominem non reverebatur;* ſuntque electi relicti ferociæ et petulantiæ adverſariorum ſuorum, Eccleſia quaſi vidua, Chriſto ſponſo tardante, clamat, gemit, ſuſpirat; ſed ad ſponſum ſuſpirat, opem implorat contra perſecutores Eccleſiæ in cauſa ſponſi unice amati et amantis, qui dixit apoſtolis ſuis, *non relinquam vos orphanos, veniam ad vos;* cum plena fiducia, orat, et implorat iuſtum iudicem, ut ſuam, Eccleſiæ ſuæ agat cauſam: *Vindica me de adverſario meo;* interim certa et ſecura vel ex ipſa hac parabola de iudice iniquitatis, ut vocat Chriſtus; quemadmodum alibi etiam haud abſimili comparatione erigimur ad certam in petitionibus noſtris ad eum fuſis ponendam ſpem: *Si ergo*, inquit *b)*, *vos, cum ſitis*

a) II. Timoth. III. 12. *b) Luc. XI. 13.*

mali, noſtis bona data dare filiis veſtris: quanto magis Pater veſter de cœlo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe? Hic autem multo adhuc magis ſtringit comparatio: *Ait autem Dominus: Audite, quid iudex iniquitatis dicit: Deus autem non faciet vindictam electorum ſuorum clamantium ad ſe die ac nocte, et patientiam habebit in illis?* Patientiam habet in electis ſuis, dum tardare viſus, eos in præſenti vita patienter ferre facit adverſarios ſuos; electi vero in cœlis, quibus iudicia Dei, quæ nobis abyſſus multa, manifeſta ſunt, iam tempore perſecutionum Apoc. VI. 10. *Clamabant voce magna dicentes: Uſquequo Domine, (ſanctus et verus) non iudicas, et non vindicas ſanguinem noſtrum, de iis, qui habitant in terra? ... dictum eſt autem illis, ut requieſcerent adhuc tempus modicum etc.* Seu ut parabola habet: *Dico autem, quia cito faciet vindictam illorum. Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Quid nos ad hæc, qui fidem deficere quotidie magis cernimus? Eccleſiam, quaſi viduam a iudice iniquitatis, qui nec Deum timet, nec hominem reveretur, haberi contemptui? Quid in noviſſimo veniens aget? Repræſentata hodie cernitur parabola hæc in Gallia. *Facta eſt,* ibi, *quaſi vidua domina Gentium a)*, Eccleſia militans regnum Chriſti in terris. Fruſtra illa hactenus plorans implorat iudicem in

a) *Thren. I.* 1.

civitate illa, qui Deum non timet, nec hominem reveretur: *Vindica me de adverſario meo*, non uno de religionis catholicæ hoste: necdum fatigato iudice iniquitatis.

CAPUT CIII.

NEMO BONUS NISI SOLUS DEUS.

Interrogavit eum quidam princeps, dicens: Magister bone, quid faciens vitam æternam poſſidebo? Dixit autem ei Jesus: *Quid me dicis bonum? Nemo bonus niſi ſolus Deus.* Luc. XVIII. 18.

Christus Filius Dei.

Admirabili modo Christus una voce et ſuam divinitatem oſtendit, et ſuperbiam arguit in hoc principe humanam in nos redundantem ex protoparentibus noſtris, qui decepti a dæmone, putantes, quod esu pomi futuri ſint ſicut dii, facti ſunt cum poſteris ſuis omnibus mali; princeps autem hic volebat videri bonus: cum enim ei Christus mandata Dei, quæ custodienda eſſent, propoſuiſſet, respondit: *Hæc omnia cuſtodivi a iuventute mea.* Qua in re ipse mendax videtur Christum arguiſſe, qui dixerat: *Nemo bonus niſi ſolus Deus.* Habemus hic uno veluti verbo complexam miseram generis humani ab Adamo inde proto-

parente noſtro conditionem, ac divinam circa nos œconomiam in Chriſto, prout D. Paulo vocatur *noviſſimus Adam. Primus homo*, ſequitur *a*), *de terra, terrenus: ſecundus homo de cælo, cæleſtis. Qualis terrenus, tales et terreni: et qualis cæleſtis, tales et cæleſtes. Igitur, ſicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cæleſtis. Hoc autem dico, fratres: quia caro et ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt: neque corruptio incorruptelam poſſidebit.* Hac doctrina de connata nobis ex primis parentibus noſtris corruptione imbutus non erat, qui ſe omnia mandata a iuventute ſua ſervaſſe iactabat, infirmitatis ſuæ ac connatæ corruptionis immemor, ut ſumus omnes natura Pelagiani, quos eodem deceptos errore hæreticos poſtea damnavit Eccleſia; hic vero Chriſtus, dum dicit, neminem eſſe bonum, niſi ſolum Deum, arguit, dum ſibi tribuit, quod Deus in nobis operatur bonum princeps. „Quoties enim, ut in Conc. Arauſicano contra Semipelagianos eſt definitum, bona agimus, Deus in nobis atque nobiſcum, ut operemur, operatur . . . . Nemo habet de ſuo niſi mendacium," cuius tacite hic redarguitur a Chriſto: Ut nos *ſi dixerimus, quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum, et verbum eius non eſt in nobis b*). Quod fit, quando alium, quam Deum fontem omnis

Caput CIII.

a) *I. Cor. XV. 45. etc.* b) *I. Jo. I. 10.*

Caput CIII.

boni bonum agnoscimus: quando boni aliquid ſibi, quaſi ex ſemetipſo, tribuit homo: ita ut nec ſe magiſtrum bonum Chriſtus ab eo ſe vocari patiatur, a quo non niſi homo eſſe reputatur: quaſi dicat: Cum me ſolum agnoſcas eſſe hominem, niſi etiam agnoſcas me Filium Dei, quid me vocas bonum, cum ſolus Deus ſit bonus, eſſentia ſua? uti quidem etiam natura ſua creati a Deo bono, cum *fecerit Deus hominem rectum a)*, boni erant homines, facti ſunt autem mali.

Tantum abeſt ut Chriſtus his verbis, *quid me dicis bonum*, deitatem ſuam tegere videatur, ut potius principem hunc ad eam agnoſcendam alliciat, atque hinc SS. PP. contra Arianos retorquendo, argumento hoc ſint uſi. „Deus nempe, ut ſcribit Athanaſius Lib. de Incarn. et contra Arianos *b)*, qui ſeſe annumeravit hominibus ratione carnis ſuæ, hoc dicit, et ad mentem eius, qui ſe adierat, reſpondit. Is enim eum duntaxat hominem eſſe arbitratus eſt, et non Deum, eaque ipſa eſt illius reſponſionis ſententia: Si enim, ait, me hominem duntaxat eſſe arbitraris, et non Deum; ne me dicas bonum, nemo enim eſt bonus. Neque enim hominum naturæ competit bonum eſſe, ſed ſoli Deo.“ Obiectionem

a) *Eccl. VII. 30.* *b)* *Num. 7. T. I. P. II. p. 875.*

quam ex hoc loco faciebant Ariani ex profeſſo diluit S. Hilarius: „Ita autem, inter alia ſcribit *a*), arguit ſe magiſtrum bonum dici, ut fidem interrogantis potius, quam vel magiſtri in ſe, vel boni nomen argueret. Juvenis enim inſolens per obſervantiam legis, et finem legis, qui Chriſtus eſt neſciens, et iuſtificatum ſe in operibus exiſtimans, et non intelligens veniſſe eum ad oves perditas domus Iſrael, et impoſſibile eſſe legi per fidem iuſtificationis ſalvare credentes, tanquam communium præceptorum, et in lege ſcriptorum magiſtrum interrogat Dominum legis, et unigenitum Deum. Deteſtatus itaque Dominus hanc de ſe irreligioſæ fidei profeſſionem, quod tanquam magiſter legis interrogaretur, reſpondit: *Quid me vocas bonum?* atque ut ſignificaret, quatenus intelligendus et profitendus bonus eſſet; ſubiecit: *Nemo bonus niſi unus Deus:* non reſpuens bonitatis nomen, ſi ſibi hoc tanquam Deo deputaretur." Leg. S. Auguſtinum in Ps. CXVII. *Confitemini Domino, quoniam bonus.* T. IV. p. 1273. etc. CAPUT CIII.

a) *Lib. IX. de Trinit. n.* 15. *etc. p.* 994.

Caput CIV.

CAPUT CIV.

PHARISÆUS ET PUBLICANUS.

Dixit autem et ad quosdam, qui in se confidebant tanquam iusti, et aspernabantur cæteros, parabolam istam: Duo homines ascenderunt in templum, ut orarent: unus Pharisæus, et alter Publicanus. Pharisæus ſtans, hæc apud se orabat: Deus, gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum: raptores, iniusti, adulteri: velut etiam hic Publicanus. Jeiuno bis in ſabbato: decimas do omnium, quæ possideo. Et Publicanus a longe ſtans, nolebat nec oculos ad cœlum levare: ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. *Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum ſuam ab illo: quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: et qui se humiliat, exaltabitur.* Luc. XVIII. 9. etc.

Ille ſuperbia reus, hic reatum agnoscens iustificatus.

Argumentum parabolæ Christus ipse præmittit: *ad quosdam, qui in se confidebant tanquam iusti, et aspernabantur cæteros.* Pharisæum in medium adducit ex genere hominum apud Judæos observantiorum in operibus legis; atque hinc elati erant. Vidimus modo principem de bonis operibus

ſuis gloriantem, nec tamen ut Phariſæus iſte cæteros homines aſpernantem. Venit Phariſæus ad templum et orat: Gratias agit Deo, videtur adeoque agnoſcere beneficium gratiæ Dei, ſed quid, *quia*, inquit, *non ſum ſicut cæteri hominum: raptores, iniuſti, adulteri?* Non eſt dubium, dum ſic audet loqui coram Deo, cui noverat omnia cognita eſſe, quæ ſunt in homine, immunem eum fuiſſe ab illis criminibus, quæ enumerat, ſtricte etiam ea feciſſe, quæ ſe dicit obſervaſſe, ieiunaſſe bis in hebdomada, et decimas omnium, quæ poſſidebat, dediſſe, ex quibus etiam erant, quæ poterant redundare in pauperes. Orat, ieiunat, decimas dat. *Bona eſt oratio cum ieiunio et eleemoſyna a).* Sed quomodo ille orat? Nihil Deum rogat, non veniam peccatorum precatur: quia in ſe confidebat, iuſtum ſe reputabat, et aſpernabatur cæteros: *Quia*, inquit, *non ſum ſicut cæteri hominum . . . velut etiam hic Publicanus.* „Diceret ſaltem, ſunt verba S. Auguſtini b), ſicut multi homines. Quid eſt, *ſicut cæteri homines*, niſi omnes præter me ipſum? Ego, inquit, iuſtus ſum, cæteri peccatores. *Non ſum ſicut cæteri homines, iniuſti, raptores, adulteri.* Et ecce tibi ex vicino Publicano maioris tumoris occaſio. *Sicut*, inquit, *Publicanus iſte.* Ego, inquit, ſolus ſum, iſte de cæteris eſt. Non ſum,

a) *Tob. XII.* 8. b) *T. V. Serm. CXV. de Verbis Evang. Luc.* 18. *n.* 2. *p.* 575.

Caput CIV.

inquit, talis, qualis iste, per iuſtitias meas, quibus iniquus non ſum. *Jeiuno bis in ſabbato, decimas do omnium, quæ poſſideo.* Quid rogaverit Deum, quære in verbis eius, nihil invenies. Aſcendit orare: noluit Deum rogare, ſed se laudare. Parum est, non Deum rogare, ſed se laudare; insuper et roganti insultare.“ Et paulo post: „Gratias Deo agit, quia non est ſicut cæteri homines; et tamen tanquam ſuperbus, et inflatus reprehenditur; non quia Deo gratias agebat, ſed quia velut nihil ſibi addi cupiebat. *Gratias tibi, quia non ſum ſicut cæteri homines iniusti.* Ergo tu iustus; ergo nihil rogas; ergo iam plenus es; ergo non est tentatio vita hominis ſuper terram; ergo iam plenus es; ergo iam abundas; ergo iam non est, quare dicas: *Dimitte nobis debita nostra?*“ Hoc vero est, quod Publicanus egit, et tam confusus de peccatorum ſuorum conscientia egit, ut nec oculos quidem ad cœlum, in quod se peccasse agnoscebat, levare præsumeret; ſed *percutiebat pectus ſuum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.* Hanc igitur veniam percutiendo pectus, affligendo, humiliandoque ſese in ſpiritu Evangelii gratiæ Christi, qui ipse humiliando ſemetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis pro nobis Patrem reconciliavit, obtinere meruit, descenditque iuſtificatus in domum ſuam: *quia omnis qui se humiliat exaltabitur, et qui se exaltat, humiliabitur.* Hæc est

ſublimitas Evangelii Christi, humilitas Christi, in ſe ſuſcipientis humilitatem noſtram, qui miſeri peccatores ſumus, ut hoc agnoſcentes, ad eum recurramus, qui peccata noſtra pertulit in cruce perſonam noſtram ſuſcipiens, Patri ſupplex pro nobis peccatoribus ſatisfecit. *Semetipsum exinanivit*, ſunt verba apoſtoli modo citati *a)*, *formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Talis homo, qualem ſe ſuis exemplum præſtituit, dum dicit: *Diſcite a me, quia mitis ſum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris*, uti exemplum in Publicano habemus iuxta effatum Chriſti: *quia omnis, qui se humiliat, exaltabitur.* Nempe a longe ſtans Publicanus, nec oculos in cœlum levare audebat, ſciens ſe in cœlum peccaſſe, quod et filius prodigus in ſe humiliatus rediens profitebatur: *Pater peccavi in cœlum, et coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus b).* Non audet Publicanus Deum Patrem appellare, quomodo Chriſtus nos orare docuit: *Pater noster, qui es in cœlis*, qui indignum ſe cum filio prodigo reputabat, fiduciam tamen in Deum ſuum non amittens *percutiebat pectus ſuum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.* Huc redit tota Evangelii Chriſti œconomia, ad quam iam Joannes præcurſor præparare

a) *Phil. II. 7.* *b)* *Luc. XV. 21.*

Caput CIV. animos debebat *prædicans baptismum pœnitentiæ in remiſsionem peccatorum a)*. Atque ut primum vidit Joannes Jesum ad se venientem, exclamat *b)*: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*, quo nimirum totus mundus inundatus est, totumque correptum genus humanum. Hinc etiam mox poſt acceptum baptismum, et diabolum tentantem prostratum, munus ſuum auspicatus *cœpit Jesus prædicare, et dicere: Pœnitentiam agite, appropinquavit regnum cœlorum c)*. Ut autem neminem, quem redimeret, a peccato exemptum declararet, cum advocasset in medium parvulum: *Venit enim*, inquit, (mox eo, ad infantes nimirum applicata parabola de ove perdita) *Filius hominis ſalvare, quod perierat d)*. Quibus verbis usus quoque fuit, cum, quod ad Zachæum *hominem peccatorem* divertisset, murmurassent: veluti etiam cum multi publicani et peccatores apud Matthæum *e)* ſimul discumberent, Pharisæi offendebantur ex eorum numero, *qui in se confidebant, et aspernabantur cæteros*, in quos dicta est parabola præsens de Pharisæo et Publicano.

a) *Luc. III.* 3. *b)* *Joan. I.* 29. *c)* *Matth. IV.* 17. *d)* *Matth. XVIII.* 11. *et Luc. XIX.* 10. *e)* *Matth. IX.* 11.

CAPUT CV.

LAZARUS SUSCITATUS A MORTUIS.

Jesus elevatis ſurſum oculis, dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me: ego autem ſciebam, quia ſemper me audis; ſed propter populum, qui circumstat, dixi: ut credant, quia tu me misisti. Hæc cum dixiſſet, voce magna clamavit: *Lazare, veni foras. Et ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus.* Jo. XI. 41. etc.

Signum fuit hoc omnium maximum, quod fecit Christus proxime ante passionem et mortem ſuam multis Judæorum ſpectantibus, et ideo credentibus in eum, ut narrat evangelista: quidam autem ex ipsis abierunt ad Phariſæos, et dixerunt eis, quæ fecit Jesus. Hi vero tantum abest, ut commoverentur hoc ſtupendo miraculo ad credendum in Christum, ut potius anſam hanc arriperent conſpirandi in eius mortem, atque etiam Lazari ex mortuis ſuscitati. **Post alios in ſignum reſurrectionis a mortuis.**

Tres legimus a Christo mortuos ad vitam revocatos: puellam Jairi filiam duodennem, quæ vix exspiraverat, adhuc in

Caput CV. lecto recumbentem: filium viduæ unicum matris ſuæ, dum ad ſepulcrum in feretro deferretur: Lazarum iam quatriduo mortuum, ac ſepultum iamque fœtentem: victorem adeoque vides mortis in tumulo, feretro et lecto! Reſuſcitaturus puellam, *cum veniſſet Jeſus in domum principis, et vidiſſet tibicines et turbam tumultuantem, dicebat: Recedite: non eſt mortua puella, ſed dormit. Et deridebant eum a)*. Dum reſuſcitaturus Lazarum in Judæam pergeret, in via ad diſcipulos: *Lazarus*, ait *b*), *amicus noſter dormit: ſed vado, ut a ſomno excitem eum*, ut oſtenderet tam facile ſibi eſſe reſuſcitare a mortuis, quam quis alterum e ſomno ſuſcitet. Hoc et apud Archiſynagogi filiam voluit dicere, egitque, dum eiecta turba intravit, et tenuit manum eius: *et ſurrexit puella:* ac ſiquis accedendo lectum dormientis manum tenens e ſomno excitet. Perinde eſt, ut apud Marcum legitur *c*): *Et tenens manum puellæ, ait illi: Talitha cumi, quod eſt interpretatum: Puella (tibi dico) ſurge.* Sic iuvenem revocaturus ad vitam *acceſſit, et tetigit loculum (hi autem qui portabant, ſteterunt) et ait: Adoleſcens, tibi dico, ſurge. Et reſedit, qui erat mortuus, et cœpit loqui. Et dedit illum matri ſuæ d)*. Lazarum vero velut e graviore ſomno excitaturus, *voce*

a) *Matth. IX.* 23. *b*) *Joan. XI.* 11.
c) *Marc. V.* 41. *d*) *Luc. VII.* 14.

magna clamavit: Lazare, veni foras. Et ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus a). Caput CV.

Est hæc omnipotens illa vox Verbi Dei, *qui dixit et facta ſunt, ipſe mandavit, et creata ſunt.* Jam vero Verbum caro factum habitans in nobis Christus Dominus ſolita ſua in vicem iuramenti testificatione Jo. V. 25. *Amen, amen dico vobis*, ait, *venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei: et qui audierint, vivent. Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo: ſic dedit et Filio habere vitam in ſemetipſo: et potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est.* Loquitur hic de universali resurrectione corporum, et quidem electorum ad vitam, cuius primitiæ quædam erat resuscitatio hæc mortuorum, Christi imprimis resurrectio. Quando Christus dicit Marthæ: *Resurget frater tuus*, ipsa iam edocta a Christo: *ſcio*, inquit, *quia resurget in resurrectione in noviſſimo die. Dixit ei Jesus: Ego ſum resurrectio et vita etc.* Hoc est, quod Jo. V. 26. dicit, Filium habere vitam in ſemetipſo. Sic de morte triumphavit Christus in se ipſo, ut Act. II. 27. illud Psal. XV. 10. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem*, de Christi dicitur resurrectione, cuius fidem in ſuis discipulis per resuscitationem Lazari

a) *Joan. XI.* 43.

CAPUT CV. antecedenter firmare voluerat: hinc *dixit eis manifeſte: Lazarus mortuus est, et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi.* „Et ideo, ſunt verba S. Jo. Chryſologi *a*), mortem Lazari usque ad quatriduanum tempus protendit, usque ad fœtorem prævalere permittit, ut discipuli dubium non haberent, poſſe Dominum post triduum adhuc recentem ſurgere, cum ſervum vidiſſent post quatriduum ſurgere iam fœtentem: et crederent illum facile poſſe ſibi vitam reddere, qui alium taliter revocaret ad vitam. Hinc est, quod dicit: *gaudeo propter vos, ut credatis.* Neceſſe ergo erat mors Lazari, ut et cum Lazaro iam discipulorum fides conſurgeret ſepulcro."

Obscurius Christus cauſam indicat, cur gaudeat propter discipulos, quia non erat ibi; apertius eam declarat Martha: *Domine,* inquit, *ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus.* Tribuit hoc amori Christi erga familiam ſibi adeo devotam, ut, qui præſens in domo Petri ſocrum ſanitati restituit, idem in domo Lazari facturus eſſet: plenaque fide imbuta, nec modo diffidit Martha de Christi virtute ac potentia: *Sed et nunc ſcio*, pergit, *quia quæcunque poposceris a Deo, dabit tibi Deus. Dicit illi Jeſus: Reſurget frater tuus.* Non præſumit Martha hæc

a) *Serm. LXIII. p.* 98.

interpretari de revocatione fratris iam quatriduani ad vitam, quod cum facere destinasset Jesus miraculum, gavisus erat, quia non erat ibi: Si enim se præsente mortuum resuscitasset, ſuspicio de facta collusione oriri potuisset; nec tantum fuisset miraculum istud, quo veluti coronidem imponere volebat cæteris ſuis miraculis, e quibus hoc omnium maximum erat, præter id, quod post mortem ſuam, ei iam proximus, se ipsum resuscitando post triduum, erat perpetraturus. Signum hoc fuit Jonæ *a*), quod generationi huic dandum fore prædixerat, quod dum Petrus Judæis denunciat, *circiter tria millia b*) credidisse in actis referuntur. Dicuntur quidem etiam multi Judæorum ad miraculum resuscitati Lazari credidisse in eum, quosdam autem ex illis qui aderant, abiisse ad Pharisæos, ut referrent, quæ fecit Jesus; sed quid inde factum ſit, capite iam ſequenti videamus.

a) *Luc. XI.* 29. *b*) *Act. II.* 41.

Caput CVI.

CAPUT CVI.

CAIPHAS PROPHETIZANS DE MORTE CHRISTI.

Collegerunt ergo pontifices et Pharisæi concilium, et dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum: et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem. Unus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset pontifex anni illius, dixit eis: *Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat.* Hoc autem a ſemetipso non dixit: ſed cum esset pontifex anni illius, prophetavit, quod Jesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, ſed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. Ab illo ergo die cogitaverunt, ut interficerent eum. Jo. XI. 47. etc.

In ſalutem generis humani

Modo intelleximus, concilio huic pontificum et Pharisæorum occasionem dedisse Lazari revocationem ad vitam, quam quidam ex Judæis ſpectatoribus huius ſtupendi miraculi retulerunt ad Pharisæos, atque adeo hi ad pontifices. Non potuit non

tantum miraculum eorum animos percellere, atque in diverſa cogitationes distrahere. Sed o portentum! timent Romanos, qui iam ſceptrum tenebant, non auferendum, donec veniat Meſſias exspectatio gentium: quia timent a Romanis tolli locum ſuum ac gentem, parricidæ occidunt Christum! tollitur locus et gens, regnumque Meſſiæ defertur ad gentes, regnum Christi exſurgit per eius mortem temporalem apud gentes, quibus ipſi ſubactis ſperabant ſtabiliendum in hac vita, in hoc mundo thronum David terrenum. *Ab illo ergo die cogitaverunt interficere* Christum, Caiphæ concordantes ſententiæ ac iudicio: quod toties renovatur contra Eccleſiam regnum Christi in terris, quoties eidem præponuntur commoda regni terreni, ſpecioſo boni publici titulo, ſc. *pro populo*, *et*, *ne tota gens pereat.* Quæ fuit omnium perſecutionum et malorum religionis christianæ causa foris Eccleſiam, et intus tanto periculoſior, quo latentior prudentia huius ſæculi tecta, atque amphipolitices habilitate malis conſiliis bonum prætextum affingendo; haud raro etiam ſe ipſum decipiendo, dum unico christiano fine ultimo posthabito, aut non attento, ſolus temporalis, bonum ceu publicum ſpectatur, aut ille in concurſu vel colliſione huic postponitur, quod maxime fieri proclive eſt hodie, dum

Caput CVI. ecclesiasticam ſeu ſacram potestatem profana atque politica ſibi uſurpans in dies magis, omnia ad idolum ſuum bonum publicum perverſis finibus et officiis, revocat; unde fit, quod Judæis bona et mala quidem vaticinatus dudum exprobraverat Isa. XLIII. 24. *Servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis*, eo detestabiliore exemplo, quo irreligioſior est profanatio ſacri quoque ac divini ministerii et auctoritatis: veluti, dum execrabili consilio inscius et invitus prophetat Caiphas; ſed ſe et gentem horrendum in modum decipit atque devovet, dum ſecuritatem inde promittit, quæ cauſa futura erat ruinæ ſuæ gentis, reſurrectio autem aliarum per Christum, quem Simeon prædixerat fore in ruinam et reſurrectionem multorum. *Cum eſset pontifex anni illius prophetavit, quod Jeſus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, ſed ut filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in unum.* Salse Origenes ſcribas et Phariſæos quaſi ſedentes inducit ſuper Aſinam Balaam prophetantis de Christo. „Ne mireris, ſubdit *a*), ſi eum (Balaam) quem diximus ſcribarum et doctorum populi formam tenere, videas prophetantem de Christo. Hoc enim legimus fecisse, et Caipham, qui dixit: *Expedit vobis, ut unus homo pereat pro omni populo.*“ „Vides, ſunt verba

a) *Hom. XIV. in Numeros n.* 4. *T. II. p.* 324. *et* 325.

S. Jo. Chrysostomi *a*), quanta ſit pontificalis potestas? Quia enim pontificatum ſortitus erat, licet indignus prophetavit, quid diceret ignorans. Gratia eius tantum ore usa est, impurum vero cor non tetigit. Multi quoque alii futura prædixerunt, indigni licet, Nabuchodonosor, Pharao, Balaam, omniumque cauſa manifesta est. Hoc autem vult ille ſignificare. Vos ſedetis, adhuc ſegnius hoc negotium attenditis, nec ſcitis, unius hominis ſalutem pro communi contemnendam esse. Vide, quanta ſit virtus Spiritus. Ex improba mente mirabilis prophetiæ verba potuit elicere.“ Succinit Theophylactus in h. l. T. I. p. 666.

Totum porro hoc redemtionis nostræ mysterium per unum hominem (Christum Deum et hominem) de quo Caiphas in concilio pontificum et Phariſæorum nesciens quid diceret locutus est, S. Proclus *b*), S. Jo. Chrysostomi discipulus, et in ſede Constantinopolitana ſucceſſor, christiani nominis pontifex in pleno conſeſſu Patrum œcumenici concilii Ephesini perspicue et luculenter exposuit: „Humana, inquit, natura propter peccata multis obstricta debitis tenebatur; neque quod debebat ulla ratione dependere poterat. Per Adamum namque omnes peccato quasi chirographum dede-

a) *Hom. LXV. in Joannem n. I. T. VIII. p.* 389.
b) *Labb. T. III. Concil. p.* 14. *n.* 5.

Caput CVI. ramus, omneſque diabolus in ſervitutem redegerat. Etenim corpore noſtro permultis paſſionibus ſubiecto, veluti charta uſus, noſtræ venditionis pretia oſtentabat, paſſionumque malignus deſcriptor inſtabat, ob oculos nobis debitum ponens, ac nos univerſos ad ſupplicium condemnationémque depoſcens. Erat itaque alterutrum duorum neceſſarium: aut ut omnes condemnati præcipites abirent in mortem (omnes enim peccaverant) aut certe ut tale redemtionis pretium daretur, quod omnibus iuſtitiæ numeris ſufficeret ad liberationem. Atqui homo, quod peccati debito ſubiaceret, ſalvare non poterat: angelus vero, quod tantum redemtionis pretium ipſi non ſuppeteret, humanum genus redimere nequibat. Supererat igitur, ut Deus pro omnium peccatis moreretur, qui nulli peccato obnoxius erat: nam unica hæc reſtabat mali ſolutio . . . Qui itaque nos redemit o Judæe non purus eſt homo: humana enim natura peccati ſervitute oppreſſa tenebatur; ſed neque tantum quoque Deus erat humana natura deſtitutus, corpus enim habebat . . . Homo purus ſalvare non poterat, Deus ſolus pati nequibat. Quid igitur? Ipſe Emanuel, Deus factus eſt homo: et id quidem quod erat, ſalvavit; quod vero factum eſt, paſſiones ſubiit."

CAPUT CVII.

CONSILIUM DE OCCIDENDO CHRISTO.

Congregati ſunt principes ſacerdotum, et ſeniores populi in atrium principis ſacerdotum, qui dicebatur Caiphas: et conſilium fecerunt, ut Jeſum dolo tenerent, et occiderent. Dicebant autem: *Non in die feſto, ne forte tumultus fieret in populo.* Matth. XXVI 3. etc.

Non in die feſto, ſecus ac contigit divino conſilio.

Diſtinguitur hoc de Chriſto occidendo concilium ab illo, in quo Caiphas pontifex anni illius prophetavit; hic autem ſuæ malitiæ relicti principes ſacerdotum et ſeniores populi ſtatuunt occidendum quidem, ſed non in die feſto, inſtantis ſive ſcenopegiæ, ſive paſchatis, in quo tamen paſcha noſtrum immolandus erat Chriſtus verus agnus paſchalis: oblatus, quia ipſe voluit, et quando, poteſtate ponendi animam ſuam integra, voluit, admiranda Dei providentia, ut oblatam per Judam proditorem, immemores ſui conſilii (non in die feſto eum occidendi, ne forte tumultus fieret in populo) arriperent occaſionem, cui dixerat Chriſtus, ut quod facere deſtinarat, faceret cito, et ſic mors Chriſti in tempus paſchatis ipſorum concurreret.

Caput CVII.

Nec tamen propter Christum a morte liberandum, quod timebant principes ſacerdotum et ſeniores populi, tumultus fit in populo; quin imo tumultum ſibi metuebat Pilatus, si non obsecundaret populi conclamationibus, ut Christus traderetur crucifigendus. Haud dubie Galilæos maxime timebat, quos gentiles esse putabant Christi Jesu Nazareni, erantque et discipuli eius Galilæi, per quos turbam, quam Christo addictam esse noverant, in eius partes fore pertrahendam, facile ſibi in animum inducebant. Accessit novus timor ipso iam imminente festo ex turbarum acclamatione in triumphali Christi in urbem ingressu. Nihilominus tamen iidem principes ſacerdotum, qui prius congregati ſecum constituerant, non occidere Christum in die festo, iam consilii illius immemores paciscuntur cum Juda, de Christo tradendo in die festo, iuxta divina de immolando Christo paschate nostro consilia: ipsa vero hora, qua Christus animare ſuos visus est ad arma ſumenda, emendum gladium, id quod iam prædixerat, eos omnes, se relicto fugam arrepturos mox contigit in horto: ubi Petrus quidem cœpit percutere in gladio, iussus autem eum mittere in vaginam, paulo post Christum negavit in atrio ſummi ſacerdotis, dum iam Christus ibi reus mortis a ſynedrio ageretur: volente vero Pilato,

cum nullam in eo mortis cauſam inveniſſet, illum dimittere, iam turba, quæ paucis ante diebus Chriſto *Hoſanna* acclamabat, intempeſtivis vociferationibus, ut crucifigeretur, petit ac obtinet. Sic concurrentibus tunc undique terrarum Judæis ad paſcha ſuum Hieroſolymis celebrandum, Chriſtus quaſi agnus manſuetus ducitur ad victimam, antiquato veteri ritu, ſuccedenteque figuræ veritate in monte, omnia trahens ad ſe ipſum: *ut ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt.* Hebr. XIII. 12. Rem complexus S. Leo P. mox initio Serm. VII. de Paſſione Domini: „Divino, inquit, intelligimus diſpoſitum fuiſſe conſilio, ut ſacrilegi Judæorum principes et impii ſacerdotes, qui ſæviendi in Chriſtum occaſiones ſæpe quæſierant, non niſi in ſolemnitate paſchali exercendi furoris ſui acciperent poteſtatem. Oportebat enim, ut maniſeſto implerentur effectu, quæ diu fuerant figurato promiſſa myſterio: ut ovem ſignificativam ovis vera removeret, et ut uno expleretur ſacrificio variarum differentia victimarum.“

CAPUT CVII.

TOMI SECUNDI FINIS.

ERRATA.

Pag. 3.	in margine,	*loco :*	Samaritana	*lege : Samaritanæ.*
- - 59.	Linea 14.	- -	exprobat . . . . . . - -	*exprobrat.*
- - 102.	- - 11.	- -	voluntatem . . . . - -	*voluptatem.*
- - 107.	- - 8.	- -	iniquit . . . . - -	*inquit.*
- - 110.	- - 10.	- -	ſeipsumn obis . . - -	*ſeipſum nobis.*
- - 133.	- - 21.	- -	coronari . . . . . . - -	*coronæ.*
- - 171.	- - 11.	- -	quam credituri . - -	*quam quod.*
Ibid.	- - 12.	- -	reversione . . . . . . - -	*eversione.*
- - 226.	- - 25.	- -	clavifer . . . . . . - -	*claviger.*
- - 227.	- - 11.	- -	elaudit . . . . - -	*claudit.*
- - 235.	- - 13.	- -	putanti . . . . - -	*putantem.*
Ibid.	- - 15.	- -	aversanti . . . . - -	*aversantem.*
- - 244.	- - 19.	- -	consparsi . . . . . . - -	*conspersi.*
- - 253.	- - 9.	- -	Pythagora . . . . . . - -	*Pythagoræ.*
- - 277.	in titulo	- -	Spiritus Sanctus. - -	*Spiritus Sancti.*
- - 333.	in margine	- -	Hypocris . . . . . . - -	*Hypocrisis.*
- - 345.	Linea 22.	- -	neminem . . . . . - -	*nemo.*
- - 346.	- - ult.	- -	nihilqre . . . . . . - -	*nihilque.*
- - 354.	- - 14.	- -	nimirum . . . . . . - -	*nimium.*
- - 380.	- - 16.	- -	illic . . . . - -	*illuc.*
- - 382.	- - 22.	- -	perhibetur . . . . . - -	*perhibentur.*

Digitized by Google

Digitized by Google